


St. r. d.



IOANNIS-VLRICI WOLFII à TODTEN-
vart, IC. Sacri Lateranens. Palatii, Aulæq;
Cæsar. Comitiss : & Consiliarii Wurt-
tenbergiaci &c.

METOIKHΣΙΣ,

SEU

ORATIO VALEDICTORIA, HA-
bita in illustri Gymnasio inclutæ Imper. Reipublicæ
Ratisbonensis, in magna Auditorum fre-
quentia VII. Eid. Februarias,
Anni M. DC. XXVI.

DE THEMATE

*Quid de Vocationibus & mutationibus officiorum sit
sentiendum : & utrum ea potius dissuadenda,
quàm commendanda?*

ADIECTI SUNT THRENI IEREMIAE
Prophetæ, & Monomachia Davidis & Golizæ ab Avo
ipsius materno D. Abrahamo Lœschero IC. olim Ca-
meræ Imperialis Adfessore, post Reip. Norimbergens.
Consiliario prudentiss. ante 78. annos carmine
elegiaco conscripta

prout &

EIVSD. D. WOLFII FASCICVLVS ANA-
grammatum & Epigrammatum.

ARGENTINÆ,

Typis PAVLI LEDERTZ Bibliop.

M. DC. XXVIII.

MITTE
ORATIO
DE
KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE



ORATIO VALE- DICTORIA.



A MPLISSIME DOMINE
*Camerari - Consul: Magni-
fice Dn. Director: Excellen-
tissimi & Prudentissimi Do-
mini Senatores: Reverendi,
Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi,
Clarissimi, Ornatissimi, & Spectatissimi
Dnn. Pastor & Symmystæ, Prætor, Reipubl.
Consiliarij & Advocati, Physici, Syndici,
Gymnasia Rectores & Collaboratores, Cives-
que & Auditores, qui adestis reliqui, Do-
mini longè benignissimi, Patroni, Adfines,
Compatres, Agnate, Patruelis, debitâ ob-
servantiâ colendi, Collegæ exoptatissimi,
Fautores & Amici singulariter honorandi:
Tuq; studiosæ Juventutis Concio Nobilis, Le-
tissima, & florentissima!*

Erudita & prisca Antiquitas, ut sive
ex lumine naturæ, sive singulari Altissi-
mi inflatu omnia acutè & accuratè pen-
sitavit, & ad solem rationis, vel per pa-
rabolas

A

rabolas

rabolas ingeniosiores; vel per hierogly-
phica subtiliora, vel per argumenta pon-
derosiora, vel per sententias nervosiores
exposuit: Ita inter sexcenta pulcerrimi
cothurni alia, etiam depinxit Apellis, il-
lius toto terrarum orbe decantatissimi
Pictoris, penicillo Fortunam, sedentem
in pila, & quidem ex ejus responso eam
ob causam; *quod loco stabili stare non pos-
sit.* Nempe hoc de ea encomium tam
est verum, quàm quod verissimum! Ex-
empla ex ipsa, quam allegavi, antiquita-
te in harenam hanc & scenam produce-
rem, nisi adessent præsentissima, nisi
quilibet, qui modo emunctioris naris,
ejus farinæ plura, etiam me non monen-
te, sciret; immò nisi saltem sciret, sed &
experiretur, aut sanè expertus fuisset.
Obferunt namque illa sese non solum,
quando radiat Pax rosea domi, sed &
quando fulgurant, boant, sonant, reso-
nantq; foris arma. Inconstantia ejus non
tantum apparet in Curia & foro, verum
etiam in Schola, templo & choro. Muta-
bilitas ejus tam patet in Iro, quàm Cræso:
in Politia, quàm Oeconomia, in Regno,
quàm

V. Stoba.
serm. 130
& Pier.
Valer.
lib. 45.

quàm pago: adeò, ut compendio prehē-
dam, nemo non lubricas ejus ambages, &
instabiles incurfiones, reciprocasq; vi-
ciffitudines ignorat, ut verè dixerit, qui-
cunq; dixit:

Στρίθει γὰρ πάντα τὰν β'ω μικρὰ τύχη.

Permutat autē omnia, quæ sunt in vita parva

Et

fortuna.

Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.

Mortalia omnia mutationes multas habent.

Ipfus fanè Ego hoc meo proprio exem-
plo, id testatum facere possum. Audite
enim quisquis es jam Auditor! Noven-
nium jam prope abit, quo in hanc lau-
datiffimam, & non tam multis comitiis,
quàm fide & dexteritate in Sacratiff. Cæ-
faream Maieftatem, immò etiam virtuti-
bus Patrum Patriæ, à materno lacte im-
bibitis, candore Civium, zelo religio-
nis, & concordi animorum combina-
tione jam dudum nobilitatam Rempub.
Ratisbonensem perveni: ibi in primo
statim limine spe eâ firmissimâ fui du-
ctus, fortunam in ea statione, quam pri-
mitus concessit, me fore relicturam, ita
ut & in illa extremum etiam vitæ spiri-

*Exēplū
lubricæ
Fortuna
in Au-
ctore.*

*Urbis Ra-
tisbonen-
fis enco-
mium.*

Plaut.
in pſeu-
dol. act.
I. ſcen. I.

tum deponere non voluerit denegare.
Sed vix *quadriennium* abiit, conata ea
me loco, in quo degi, privare: ſpem ne-
ſcio quam faciens ad alia magis ſplendi-
diora & ardua. *Parui ego, & vix quadran-*
tem anni abſens, ſenſi, me ſiniſtro pede
tum profectum, ſpem compendii me fu-
iſſe frustratam, eamq; me ſuo luſiſſe lu-
do: ita quaſi ſolſtitialis herba paulisper
fui, & repente exortus, repentine occi-
di. *Quæ Divæ* illius inconstantia etiam
hortatrix mihi fuit, priſtinam meam
functionem *repetendi*, quam quoq; cõ-
ſentientibus vobis, *Patribus Conſcriptis*,
denuò nactus & adeptus fui: Ubi, DEũ
& ſinceram hanc meam mentem teſtor!
ſi unquam & ullibi, jam certè & hoc in
loco unicum & perenne tabernaculum
dierum mearum locare, ſemel conſtitui.
Sed & fortuna ſua in me jacula denuò
conjicere non deſiit, & iterum atque
iterum conata, me ſtabili hac mea fun-
ctione exuere, & aliorſum ad alia munia
& munera obeunda multoties avocare.
En namq; Ecce! jam occaſionem manu
largâ (præſiſcini tamen dixerim) ſub-
mini-

ministravit, quâ per Principes & Magna-
tes Inferioris Saxonie ad Augustissimam
Cameram Imperialem Spirensis, in
Classem Assessorum nominatus & descri-
ptus fui. Jam illam ipsam conditionem
obferre voluit. per Proceres & Status Cir-
culi Franconici: jam per Principes, Dyna-
stas & Status Circuli Svecici: jam me à
Consiliis commendavit per magnos nō-
nullos Imperii Principes, Serenissimo E-
lectori Saxonie, Dn. Ioanni Georgio, Domi-
no meo clementissimo, in Comitatum Hen-
nenbergicum, ubi quondam Majores meū
floruerant; jam ad alia evocare conata,
sed conata: nihil tamen, partim ob ra-
tiones prægnantes, quas vestrum scire
jam non interest, partim propter alia ob-
stacula efficere hætenus unquã potuit.
Nupero tempore denuò tentamen fecit,
& mihi nil quidquam cogitanti vel mo-
lienti se splendidam exhibuit, mihiq;
ut ne hîc persisterem, pessulum obdidit.
Sed quid obdidit dico? ipsã januã latè la-
tèq; aperuit. Vocavit q̄ppe me indignis-
simum, Serenissimus item Princeps ac Dn.
Dn. Ioãnes Fridericus, Dux Württembergicus

Varia ob-
lata Au-
ctori con-
ditiones.

Vocatio
Württembergica.

A 3 & Tec-

& Teccensis, Comes Mompelgardia, Dyna-
sta in Heidenheim & Obergirch / Dominus
meus Clementissimus, Consiliis suæ Sere-
nitati subministrandis Comitem, nec
vocavit solum, sed ut illud in me susci-
perem munus, jusserunt illi, quos ego
sydera huius ævi habeo, & à quibus lu-
cem pallenti meæ famæ conciliari posse
feriò novi.

Quid facerem? quid dicerem? Quid
tibi *ô summe Deus*, quid tibi *Fortuna* relu-
ctarer? Indignus quidem sum omnium
miserationum tuarum *ô Sanctissima Trinu-
nitas!* Indignus tuâ clementiâ, & am-
plissimorum tuorum *Consiliariorum* con-
sortio, *Magnanime Princeps!* Indignus
tuo domicilio, *ô fertilissima tellus Wûr-
tembergica!* Indignus isto honore, istâ
functione! immò illi obeundæ, hume-
ros meos impares scio; ut quod nullum
apud me ingenium singulari iudicii a-
crimoniâ pollens, nulla per varia lustra
acquisita prudentia, nullus variarum re-
rum usus & praxis, adeò, ut cum Comi-
co illo ferè *me nihil scire* ingenuè fateri
necessum habeam. Sed tamen, quid fa-
cerem?

cerem? repeto, quid dicerem? & quid tibi o Magne Deus, quid tibi fortuna reluctarer? Vidi ego sanè & deprehendi, ex tot & variis oblatis conditionibus larem me domesticum hac in Republica perpetuò figere non posse: Vidi, fortunam meam stare hîc amplius nolle: Vidi, & id quod ex nostris, plures tradunt: Magnatum preces jussa & præcepta esse, verû reperi: & inscitus, immò impius essem, si temerè obstitissem. Quapropter rem omnem ad vos Patres & Senatores Excellentissimos deferendum duxi, & numgratiis vestris hinc mihi abire concedi valeret, humiliter inquirere? Propter vos, licet me Civem vestrum & Advocatum, quâ estis humanitate & in me benevolentia singulari, quæ & in ruborem me pœnè dedit, diutius optassetis: Tamen Serenissimi illius Principis mei auctoritas, illius vocatio, illius ad vos exarata literæ hoc impetrarunt, ut piaculum duxeritis, Fortunam illam meam remorari, me detinere, quin potius ita discessum & abitum ab hinc meum benignissimè indulgere constitueritis & conferitis.

Bald.

conf. 121.

in princ.

lib. 3.

Alexand.

conf. 124.

in fin.

lib. 5.

A. 177.

Cri. Gett.

conf. 122.

n. 15. h. 2.

Officia
Aucto-
ris in Re
pub. Ra-
tion.

seritis. Magna profectò gratia ! & quæ
erga *tantum Principem* plenis buccis &
buccinis decantanda ! quod & per me
fiet, quando ardua montium, lubrica
vallium, roscida cespitum & glebosa cā-
porum emerfero ; sicq; DEUS, Dux iti-
neris mei, me saluum sospitemque ad
Aulam perduxerit. Verùm, quàm abirè,
constitutum mihi est publicitus pro ma-
gnis & innumeris per vos in me collatis
beneficiis, grates gratias agere ; & qui
publicè in numerum vestrorum Ordi-
nis Senatorii Consiliarior. cooptatus ;
qui publicè in album Reverendi Syne-
drii Ecclesiastici Adfessorum inscriptus ;
qui publicè in Scholarcham Gymnasii
deputatus ; qui publicè in Civem huius
Reipub. & vestrum, Auditores, concivè
fui assumptus ; *publicè etiam officia mea,*
functionem meam, civitatem meam corà
vobis jam deponere : vobis à quibus pro-
dierunt rursus immolare ; & quantum-
vis hoc in loco ante me, quem ego qui-
dem sciam, de hoc subsellio nemo in si-
milibus casibus verba fecerit , publicè
aliquid de hac quæstione brevissimè ta-
men

men (ut qui sciam, longitudinem nar-
rationis sæpè mentem involvere) præfa-
tâ manuum reverentiâ, differere: *Sint*
nec ne mutationes eiusmodi officiorum, &
ad alia loca migrationes magis utiles an
nocivæ: Sicq; plus inhibendæ quam promo-
vendæ? vel ut pressius dicam & trutin-
tius; Quid de vocationibus & promotionib.
ad officia pertexenda sit sentiendum? Vos,
qui in mei gratiam jam convenire volu-
istis date sitis hoc mihi gratiæ porrò, fa-
cite audientiam dicendis; aurium, ut sic
dicam, vacuas ædes aperite, & si forte
abfuerint Tulliani illi Cincinni & nitor,
si fortè desultoriæ scientiæ stilo quædam
protulero, exoticiq; & forensis Sermo-
nis rudis Locutor offendero, ignoscite!

Quod pristina functio facta salvaque
permanere debeat, & quod eiusmodi
mutationes potius improbandæ quàm
commendandæ, ne dum alicui sanioris
Judicii suscipiendæ sint, svadere possunt,
non levia rationum monimenta & pon-
dera. Neminem namq; inter vos extare
arbitror, qui nesciat illud pedibus quasi
conculcatum veriverbium: Omnem

A s mu-

Hier. Gi-
gas conf.
34. n. 1.
Franc.
Arctin.
cons. 83.
num. 4.

Argu-
menta
mutati-
ones dis-
suadetiæ
genera-
lia.

mutationem esse θανάφορον, mortiferā
& periculofam, & id quod ille non Poe-
tarum solum, sed me Judice, etiam sapi-
entum eximius, ille, inquam, Homerus
olim protulit ex tripode Apollinis quasi
prodiisse. (τοῖσιν.

Πλαγκτοσύνης δ' ἔκ' ἐστὶ κακώτερον ἄλλο βρο-
Nil miserabilius quam incerto pede vagari.
in tantum, ut hinc scitum illud cavillum
aureis literis, marmoreo lapidi à quibus-
vis cordatioribus inculpi debeat:

*Versus
circula-
torius.*

Si qua sede sedes, Erat tibi cōmoda sedes,
illa sede sede, nec ab illa sede recede.

*4 Reg. 14
Vers. 10.*

Quo etiam respicere videtur illud, quod
in sacris historiis Rex Israelis Joas ad A-
maziam regem Judæ proferri curavit, cū
inter alia disseruit: *Contentus esto gloria
tua, & sede in domo tua.* Scilicet hæc prin-
ceps est hominis felicitas, hic felix ho-
minis principatus, suâ sorte scire con-
tentus vivere! hæc generosa illa & Her-
culeæ via est, hanc tantum terere: & ô
pæminofum fœdumq; errorem! ô car-
cinomam non furunculum! ubi alia co-
gitatio animum intrat! Næ aliter æstu-
manti ingenium, ad falsum illud apud
Lactan-

Lactantium apophthegma cimmeriis a-
tritibus involutum ! nã ipsi mens a-
mens! nã ille oscedine quadam semi-se-
pultus veluti per nebulam cuncta despi-
cere nihil dispicere, sicq; totus, quantus
quantus est, hallucinari dicendus est!
Quid enim dubites ? Quia mutatio est,
ut veterum quidam venustè admodum
dixit, mater novitatis, quia Soror est su-
perstitionis, quia filia est levitatis, neptis
temeritatis, Inimica salutis, & agnata
libidinis, quis quæso eum, qui se ei dat
quasi mancupi, aliter censeat, quo mi-
nus dementatum, & ab omni iudicio se-
questratum dicere audeat ?

Verùm enim verò, si quis hæc saltem *Specia-*
ex plebitate sumpta, & verba tabernaria *lia.*
censeat, si quis ea crassis auribus obsti-
nato corde respuat, utiq; alio tectorio,
alioq; statumine mihi statuminanda &
incrustanda erit veritas : Ubi sanè mul-
ta maxuma, primò illico in congressu
fese obferunt incommoda, quæ mutati-
ones officiorum reprimendas, interdi-
cendas & comitali quasi decreto extir-
pandas jubent.

A 6

Triplex

Incom-
moda
triplicia
ex muta-
tionibus
officiorū
exurgē-
tia.

Simile
ab ædifi-
ciorum
locatio-
nibus.

Triples namque malum video, quod ex mutationibus, eiusmodi imminere plerumque solet. *Vel* enim illud sentit ille, cui præstita hæctenus officia fuerūt: *vel* ille, cui jam & in posterum præstanda: *vel* ille ipse, qui sic mutatur in horas. *Primum* incommodum negabit nemo, nisi qui & historiarum rudis & rerum politicarum nullus fuit observator. Nā sicut in ædificiorū, locationib. usu venire videmus, ut quanto crebrior earum mutatio, tanto etiam soleat fieri ea periculosior, dum Conductor hic probi est commatis, & munditiei industrius Candidatus, diligens & erectæ frontis, aded, ut & ipse Locator in domo locata, majorem sedulitatem & curam adhibere non valeat: alius verò superciliosus, & qui nec superos curat, nec inferos, fraus populi, impurus, impudicus, domiverfor, fugitivus, & rei familiaris prodigus, qui, quod alius impendio strictisq; vigiliis servavit, hic evertit, parietes, januas, & alia domus fulcimenta destruit, unde tandem fit, ut ædificia ista alioquin & primi Conductoris in habitatione robusta,

busta, ruinam minari incipiant, aut fanè magnis impensis, laboribus multis ad reficiendum & reparandum indigeant: Ita etiam hoc accidere solet in Republica, quæ teste communi Politicorum & Sapientum scholâ, haud in concinnè ædificiorum structuris æquiparatur. Solito enim communius evenit, & experientia, omnium rerum magistra, edocet, Ovidianâ illâ & Apulejanâ excellentiorem metamorphosin exoriri plerumq; solere, quando in locum eorum, quorum fides, candor, industria, prudentia est explorata, qui Reip. vel Principatus alicuius statum, naturam, arcana quoque jam exactissime rimati; conditionem tamen istam suam mutare coguntur, novitii & hodie-nati adsciscuntur, illisq; clavus Reipub. tenendus traditur. Prô DEUM hominumq; fidem! quanta ibi nonnunquam ἀταξία & confusio! quanta supercilia, quanta arrogantia, quanta regendis hominibus & suggerendis consiliis rusticitas, & si ita loqui liceret, asinitas! ut sicco, quod ajunt, pede transeam incommodum aliud

*Franc.
Patrit.
Senens.
de instit.
Reip. lib.
6. tit. 1.
pag. m.
252.
c. quam
sit. de e-
lect. in 6.
Franc.
Bursat.
cons. 200.
num. 78.
vol. 2.*

ud quod ex novella istiusmodi receptio-
ne & dimissione priorum emergit: jactu-
ram temporis, quam impendere Tyro-
nes isti necessum habent in perlegendis
Reipub. alicuius statutis, consuetudini-
bus, actis, pactis, capitulationibus, ut
vocant, & aliis literarum documentis,
quæ conservandæ ejus valetudini pro-
sunt: ex quo tandem veluti conseqvia &
appendicula necessariò Respub. detri-
mentum vix recuperabile sentit, dum
res celeriori expeditione indigentes pro-
telantur, sinistre tractantur, alia metho-
do expoliuntur, & ita causæ, cætera bo-
næ, infelicem eventum fortiuntur. Quod
fanè deplorandum, paucos, immò pro-
pe nullos reperiri, qui hæc omnia probo
judicii perpendiculo examinant, ita ne-
mo animo suo resipiscentiam dat ad
mentem, quo fit, ut & tandem stultorū
illud *Non putâram*, in ore plerisq; volu-
tandum, & (verum nimis serò, & Phry-
gio Cumanog; more!) cum eruditionis
illo politioris Antesignano ejulandum:
*Tum denique homines nostra intelligimus
bona, cum, quæ in potestate nostra habui-*
mus

Unterschied
trifft seine
eigenen
Herren.
Plaut. in
Captiv.
act. 1.
scen. 2.

mus, ea amissimus. Intellexit hoc quondam
divini ingenii Iustus Ulpianus, qui to-
lerabilius esse existimavit, absentem Ju-
dicem, qui semel cognovit, tantisper
expectare, quam Judici novo rem rur-
sum judicandam committere. Intelli-
gunt & hoc nonnulli alii, quibus cere-
brum in capite situm est: Sed nemo con-
siliis aures rerum arbitras indulget. Ex-
emplum Auditores horum, quæ dixi
modo, præbebo unum; & quidem non
meis verbis, sed insignis illius, & mei o-
lim fidelissimi Præceptoris, Petri Fride-
ri Mindani, J.C. Excellentissimi, & in A-
cad. Giessena Professoris celeberrimi,
qui inter alias causas, cur in summo Im-
perii tribunali, Camerae sc. Consistorio,
tanta causarum expediendarum protra-
ctio cottidiè cernatur? etiam Dnn. Af-
fessoribus tribuit; in hæc verba scribē-
do: *Accedit, quod Assessoratus officium per-
petuum non est, sed cum & dignitas sum-
ma maximaq; Icti sit, in summo sacri Impe-
rii Consistorio & numini Casareo, & com-
muni Patriæ à Consiliis esse: Et quod juris-
prudentiæ in tanta causarum omnis gene-
ris*

*in l. Præ-
tor. in
fin. ff. de
vacat. &
excus.
muner.
In præf.
seu epist.
dedicat.
part. 1. de
process.
mand.
Vid. &
Vent. de
Valent.
in suo
Parthen.
litigios.
lib. 1. c. 16
n. 17.*

„ ris varietate, ibi quedam, quasi officina,
 „ vel potius Academia sit: multi toto quidē
 „ conatu ad Assessoratus officium adspirant:
 „ non ut perpetuò communi patriæ Consiliis
 „ adesse suis cupiant, sed ut dignitate & re-
 „ rum experiētiā aucti, majus postea vel a-
 „ pud Principem, vel Civitatem aliquam
 „ Imperij lucrum facere, majoreque loco esse
 „ possint: Et ita fit, ut multis subinde exerci-
 „ tatis decedentibus, novis aliis succedenti-
 „ bus, multa causa inexpedita maneant. Ha-
 „ Etenus Petrus Friderus, cujus viri aucto-
 „ ritatem ad instar omnium allegasse isti
 „ fini sufficiat, quo pandere stabilireq; li-
 „ ceat, sicut ille querulatur de Camera
 „ Imperii: ita similiter sentiendum esse de
 „ singulis & universis, Rebus publicis,
 „ Dynastiis, Principatibus, & Imperiis,
 „ sicque patere, mutationes, iis præfer-
 „ tim, propter quos eæ instituuntur, esse
 „ exitiales, & ubi antea erant bona suc-
 „ cessa, nunc fieri occisa, ut hinc manibus
 „ pedibusq; eò laborandum, quo prisci
 „ Officiales in pristina sua functione, qui-
 „ bus quibus modis servari valeant, ne ex-
 „ crebra tali mutatione pulcerrima alio-
 „ quin

*Primi of-
 ficiales
 quantū
 fieri po-
 test, reti-
 nendi.*

ina,
ide
nt:
liis
re-
a-
am
esse
ci-
ti-
la-
o-
sti
li-
ra
de
is,
is,
er-
te
c-
us
ci
i-
x
n

quin structura Reipub. penitus evertatur, ne sonora ista harmonia pessundetur, vel certe immensis sumptibus aliis, qui ex permansione alios in usus converti potuissent, cladem sentiat.

Sed hanc sequitur etiam, quam dixi, incommoditas altera, quam experiri cogitur ille, cui officia in posterum præstāda sunt. Una namq; eademq; ratio in proclivi est, quæ diverticula & mutationes ejusmodi improbat. Sicut enim à primis ferè Imperii Romani aliorumq; incunabulis, nulla unquam fuerunt tempora, ubi non rebus tractandis in consilium adhibiti fuerunt, viri sagaces, prudentes, & in omni scientiarum genere versatissimi: Ita & hodie nulla gens, Respublica nulla, nullus Principatus iis carere potest, uniusq; mens tantæ molis non est capax. Quæ cum ita sint, facile inferes, usui & saluti conducibile non esse, quando Princeps vel Magistratus novis subinde ministris, novis Consiliariis, novis Judicibus est circumscriptus: quia tales semper communiter aliquid novi adportant; & nemo fere est, cui non

Vid. de hoc institut. Pet. Gregor. Tholoff. lib. 24. de Rep. c. 4. per tot.

Ampl. D.D. Besold. lib. 2. polit. c. 3. n. 37. p. m. 654 Reinhar König. part. 2. Theat. polit. c. 26. n. 8. & seqq.

*Idē Tho-
loss. d. rr.
lib. 4. c. 4
n. 36.*

*Meleh.
Iun. tom
1. orat.
de offic.
¶ Magi
str. cōtin.
orat. 1. p.
m. 295.*

*Idem D.
D. Besol.
de consil.
polit. a-
xiom.
180. p.
118.*

non displiceat aliquid ex stylo majorum quantumvis recepto, quantumvis probo: quin potius omnia incerta manent, & jam cœpta sub præcedentibus, fiunt veluti nux casta, & prius vel in totum pereunt, quàm ea quis vel recensere vel cognoscere possit; pariliter ac illis accidit, qui testitudinem primum in manus sumunt, multas ante chordas perdunt, quàm cōcinne ludant: ita etiam magno Subditorum incommodo, non minori Magistratuum superiorum damno, quæ facienda, noviter ejusmodi adsciti & cōlecti discunt: id quod Isocrates probè intellexit, qui de Busiride scribendo; inquit: Eum, ut singuli easdem res perpetuo tractarent, imperasse; haud ignarū, eos, qui subinde aliud atq; aliud munus susciperent, nihil exquisitè cognitum habere, aut dextrè obire: eos autem, qui rebus iisdem perpetuò sunt occupati, in suo genere plurimum excellere. Ex quibus sanè omnibus cum quilibet, nisi ille planè Myops sit & Luscitiosus, perspiciat, quàm noxia & venenata quasi ejusmodi mutatio accidat, quid obstat, quo minus

minus & illa omnibus nervis contundi
& interdici debeat?

Atqui calamitas hæc & tempestas nõ
solum ipsum Magistratum sequitur: Sed
cum primis etiam, ut dixi, *eum*, qui sic
inter cupidinum novos fluctus fluctuat,
natat, & hianti est ore. Pariliter enim
desultorium, ut ita dicam, hoc genus
vitæ non est ex migrantium usu, non ex
fama. Non, *inquam*, ex fama: quia ejus-
modi Vagabundi, Migrones & Mercu-
rii, præter invidiam, livorem, odium, a-
pud plerosque male etiam audiunt, fidẽ
& candorem prostituunt, ut nemo pro-
pe tutum in eos refugium ponere vale-
at; ut quod instructus reddatur animus
in futuris, quando præteritorũ commo-
vetur exemplis; ut hinc meritò citandus
versus ille, à Sopho Romano illo lauda-
tus: *Cuivis potest accidere, quod cuiquam
potest.* Non etiam est ex usu, id quod
fatebitur mecum quilibet, qui modo à
se ipso non abiit. Atque ut à cardinali
hominis fœlicitate in hoc exordiar, nõ-
ne ea est Sanitas? Utique! & hâc remo-
tâ, nulla est cæterarum rerum voluptas.

Ea

*Iust. Lipsf
cent. 1.
epist. 12.
B. Hugo
Cardin.
lib 5. e-
pist. 26.
Lips. ceter.
1. epist.
26.
Vid. de
his mul-
ta apud
immen-
se lectio-
nis Veris
And. Ti-
raquell.
de nobil.
cap. 31.
nu. 384.
& seqq.*

Jacob.
Bornit.
de rer.
sufficiēt.
tr. 1. c. 3.
pag. 13.
Ioan. He
ring. tr.
de jur.
Burgor.
c. 1. concl
37. num.
546. ubi
citatur plu
res. Et tr
de molē
din. q. 14
n. 7.
V. D. D.
Conrad.
Theodor.
Vlmens.
Superin
tend dis
curs. de
munit.
Et pro
pugnac.
memb. 3.
quali. 1.

Ea autem, ubi citius & celerius amitti-
tur? ubi mors festinantius insequitur,
quàm cum novæ provinciæ, locorum
novorum, novi facti inquilini sumus?
Nec hoc quidem sine causa & ratione.
Corporum enim & humanæ constitui-
onis qualitas derivanda est ex aëre & so-
le, quorum *alter* hominem ambit & in-
trat, recreat & nutrit: *alter* solum & sa-
lum suo influxu, motu, luce, & calore
moderatur: ut hinc ex diversitate aëris
etiam scaturiget diversitas loci, & ex aë-
ris & Solis ratione mutantur etiam cor-
pora mortalium: dum nimirum una
mundi plaga alterâ est præstantior, nobi-
lior & salubrior, deterior etiam & con-
tagiosior; quemadmodum illas urbes,
quæ ad Orientem & Septentrionem, e-
osque ventos, qui inde proflant, conver-
sæ sunt; Aristoteles subtilissimus Natu-
ræ Indagator, perhibet esse salubriores
illis, quæ spectant ad meridiem & occa-
sum. Quapropter non esse non potest,
quin ex transmutatione tali, mutantur
etiam humana corpora, & veluti ex co-
rollario magni & chronici morbi ea
in-

invadant, qui nonnunquam ipsam La-
 chesin advocant, ut cum Sororibus fi-
 lum vitæ abrumpat: maximè, si corpora
 ista vel aliàs aliis symptomatibus obje-
 cta & impura, vel diuturnitate itinerum,
 perplexitate viarum ita concussa, contu-
 sa, & conquassata sunt, ut melius fuisse
 censerì possit (a) Dircaè illi, quã Jovis du-
 os gnatos ad taurum devinxisse Poëtæ
 somniant. Exempla vultis? (b) *Ottho Gry-
 phius* (quem virum totum hoc Audito-
 rium novit) discessit ex hoc Athenæo,
 ubi fasces tenebat, Tubingam: cui bo-
 no? paucos post menses, quàm advenit,
 obiit & ad Olympiaca abiit: Vultis ali-
 ud? Heu! funestum & tristissimum, cu-
 jus recordatio liquorem premit ex ocu-
 lis, (c) *Mea illa quondã fidissima, ipsoque
 dulcore dulcior dulcissima Conjux A-
 GNETA HALBRITTERIN, (d) tua,
 Iane Georgi, Collega charissime, Germa-
 na soror, migravit hinc Tubingam. Quid
 factum? Octavo, postquam ibi appulit,*
 die

a) *V. Propert. lib.
 3. eleg. 13.
 Plaut. in
 pseud.
 act. 1. scē.
 2.*

*Exempla
 tristia su-
 sceptarũ
 mutatio-
 num.*

b) *Ottho
 Gryphi-
 us excel-
 lens Phi-
 losophus
 Rector
 Ratisbo-
 nensis.*

c) *Opti-
 ma & o-
 mnia*

*virtutum genere splendidissima matrona A G N E T A
 HALBRITTERIN. Authoris prima conjunxi.*

d) *Ian. Georgius Halbriiter IC. Consiliar. Ratisbonens.
 ejus frater.*

Spira
urbis Im-
perialis
contagio
sus locus
Autho-
ris pa-
tria.
Vitte-
berga in
Saxonia
Wet von
Tübingen
kompt ohn
Weib:
Von Wit-
teberg ohn
Granden
Leib:
Von Helm-
statt ohn
geschlagē:
Mag wol
von Glück
vnd segē
sagen.
Versiculi
tritissi-
mi.

die abiit & obiit. O Parca Parca, quàm
 minimè pepercistis! quàm raro parcitis!
 vultis iterum aliud? *Spiram* Patriam me-
 am cito, quam plurimos adire, neminè
 aut rarissimos sine febrili aliquo aut a-
 lio paroxismo inde abire, eamq; relin-
 quere communi jam verbo inolevit.
 Vultis etiam *Wittebergam*? Quid inter
 literatos, & bonarum artium studiosos
 tritius, quid vulgatius, istis versiculis, o-
 lim in gratiam mei scriptis?

Quem sanum incolumemq; mittit alma
V Witteberga domum redire: quemque
Absque connubiali amore nexuque
Ad lares Patrios Tubinga mittit:
Quemq; Helmæstadinum redire donat
Domum, verberibus prius molestum
Ni corpus fuerit probè probèq;
Is se ô nimum dicet beatum! (a)

Tales nimirum mutatio locorum indu-
 cere etiam solet mutationes corporum,
 quæ quidem nonnunquam æquiori fer-
 ri possint animo, (a) nisi accederet etiam
 mutatio

a) Vid. discurs. meum jurid. de fæminar. injur. civil. &
 Canon. prisil. in eulog. Amicor. carmen. Otthon. Rhôden,
 Lubecens. amici candidiss.
 b) Vid. de his præfat. seu epist. dedicator. hendecad. mea
 quæstion. feudal. præfixam.

mutatio loculorum, nisi exenteraretur
marfupium, nisi naufragium res patere-
tur familiaris, quando scil. vel itineris
prolixitas nobilem pecuniæ summam
absorbet, vel supellectilia, quæ jam in
mundo erant, aliorum avehuntur, vel
ea venum exponuntur, alibi verò carius
comparantur, vel alioquin corrup-
puntur.

Tacebo jam & albâ, quod ajunt, lineâ
præteribo incommodum illud, quando
quis ex tranquilliore statu secedit ad tur-
bulentum, ex pace ad bellum, ex calce-
aria ad carbonariam, ex requie ad labo-
rem, ex virtute ad vitia, quod quidem
fieri censei potest tum, quando relin-
quitur civitas, & Aula colitur. In civi-
tatibus enim modestè quis sibi & sobriè
vivit; est ibi Sol tranquillitatis, in quo
apricari liberè licet: est ibi amicissima
semper studiis solitudo & quies: Sincere
animorum conjunctio: floret ibi pu-
dor, cernitur innocentia, simplicitas &
vita malarum artium, fraudium, pallen-
tiumque curarum expers: In aulis vero
(id quod milleni homines testabuntur,
hoc

*Civita-
tis &
Auledis
paritas.*

*Plaut. in
Aulul.
act. 2.
scen. 2.*

*Herm.
Luther.
de cens.
lib. 2. c.
10. n. 1.*

*G. Adam
Keller.
de offic.
juridico-
pol. lib. 3.
c. 4. pag.
668. &
seqq.*

hoc est theatra tota) est noxæ integritas,
contumeliæ pudor, ludibrio fides, fastus
in æquales, adulatio in Superiores, con-
fusio aëris, & morum haud pura puri-
tas, turbaq; turbulenta, Fortuna ibi al-
terâ manu fert lapidem, panem ostentat
altera, livor & invidia regnat: & licet
quandoque ea abeat, ut Antæus tamen
aliquis semper virescit, resurgit, & ut in
monte Ætna ignis intervalla sua habet,
cum desævuisse creditur, redit: Si inter-
dum sunt Zephyri spei melioris. En sta-
tim eos ex adverso subitò subturbant
Noti: Improbilas ibi est Victrix, & Im-
pietas Triumphatrix, familiam ibi du-
cunt avaritia & luxus: ibi, ut tribus bo-
lis rem omnem comprehendam, publi-
carum libidinum est consistorium, &
colluvies vitiorum, quæ Anonymus qui-
dam his versiculis per Alphabetum Au-
licum pulchrè depinxit:

*Aula eadē est omnino fides, qua mobilis aura:
Blanditur, sed post mordet, ceu Scorpius, Aula:
Consiliis rarò melioribus utitur Aula:
Dissimulet, regnare diu qui poscit in Aula:
Exulat integritas, probitas, & cādor ab Aula:
Ferre morā, atq; irā frenare docemur in Aula:
Grande*

Grande Sophos ridere bonos cœsetur in Aula:
Kyrie qui sonuere, canunt eleison in Aula:
Languent Virtutes, scelus omne at regnat in
Aula:

Alphab-
etum
Aulicū.

Munerib. mentes hominū capiuntur in Aula:
Nugas Aula leues, & fumos vendit inanes:
Otia quisquis honesta cupit, discedat ab Aula:
Porta Erebi terris Aula & tua Tantale pœna
est:

Questus adulari & mētiri est primus in Aula:
Rara avis in toto est ferè pius Aulicus orbe:
Sinceris & simplicibus & semper in Aula:
Turpe Senex & inops, quando incolit Aulicus
Aulam:

Vita difficilis methodus benè dicitur Aula:
Xanthe retro ibis erit quādo cōstantia in Aula:
Ydra aula est capitū multorū, horrēda Venenis:
Zenones, fatui sunt atq; Thrasones in Aula.

Cum quo coincidit & illud incer- ti Authoris:

Aula profanata sedes aptissima menti
Bullatis gaudens titulis, spe dives inani;
Consiliis inimica bonis, contraria vero.
Delitijs pregnans, hamata fertilis esca,
Errorum speciosa domus, fraudisq; maligna,
Fortunatorum speciem mentita locorum.
Gloria Ventosis quam tollit in æthera pennis;
Humanos simulans confictio lumine Sultus,
Invidia atq; odij diro suffusa Veneno;

Κεπλαυρῶν δ' εἰν ὤπις ὀμῆγυσις αἰλοδέσμων;

B

Ludorum

In fin.
tom. 3.
Scriptor
public.
V Vitte-
bergenf.
Academ

Ludorum quærens varias ignava latebras;
Muneribus dextras obversans semper apertas;
Nomina falsa gerens, fucosa subdola laudis;
Omnia latifica referens ad gaudia vite;
Principiis ut blanda suis, ita fine molesta;
Quarta tribus furis soror addita Thelxiepia.
Regnorum ostentans elata insignia dextra,
Sorte potens, vera nulli ratione benigna;
Temporibus confusa, sine ordine, mobilis, exlex;
Virtutē simulans, vitiorū immersa profundo.
ΕυσόβιϞ τι καὶ οἰνόφυξ τε θαλῆα τ' ἀλοιοῆ
Υλομανῆρ καὶ θηρομενήρ τε καὶ ἰσοδάμεια,
Ζωῆς τ' ἀγαλέης μέθοδος, καὶ παντάλα ἄλοϞ.

S. Philip
Camer.
part. 1.
horar.
subcis. c.
45. pag.
207.Ϟ
seq.

Quæ omnia probè probèq; secum exam-
inans & ad trutinam veritatis expo-
nens Philippus Cominæus Jctus Gal-
lus, vetus Aulicus & testis oculatus, splē-
didam illam & periculosam aulicam mi-
seriam jure detestatur, & mediocre vitæ
genus (quale sc. in Civitatibus vivitur)
commendat: Nihil, inquiens, præstabi-
lius mediocri vitæ genere, quod qui potest
assequi & tueri, is omnium est felicissimus:
cum quo & illud consonat, quod quidā
in celebri quadam Germaniæ nostræ ur-
be suis ædibus adscribi curavit: ὁ τῶν ἰδι-
ωτῶν βίος ἄρισϞ, Vita privatorum est
optima.

Hoc

Hoc sc. est βραβεῖον, hoc præmium est,
hæc laurea est, quæ imponi solet iis, qui
sic pristinam functionem habent exo-
sam, & de una ad alteram, de hoc loco
ad alium fiunt transfugæ, ubi profectò
vel tandem eos comitatur pœnitentia,
sed tum, quando nulla rerum salus est
sperabilis, ut accidat hinc utriusq; ordi-
nis, & linquentibus & suscipientibus
& abiturientibus, idem, quod Rustico-
lo illi, qui diu de Antigono Rege vivo
questus, cum obiisset Successore pejore,
terram laboriosè invertens & votorum
jam pœnitens; *Antigonum*, dixit, *refodio*:
quo apophthegmate hæc classis disfluaso-
ria mutationum jam mihi claudenda.)

*Iust. Lips
cent. 1. e-
pist. 4.*

Quidquid tamè horum omnium sit;
licet ea speciosa sint & minimè inerudi-
ta: tanti tamen apud me momenti non
sunt, ut affirmem alteram opinionem
non nimium esse nihil, quin & in ea sit
aliquid probi & integelli.

*Ioan. Ba
ptist. Pi-
us in an-
not. prio.
insert.
tom. 1.
Lampad.
art. à la.
Gruter.
emiss. p.
362.*

Si candidus aure

Nec matutina si mihi fronte venis.

Et ut dicendorū fiat fides, placet omniū
primo mutationes fulcire Exemplis vi-

B 2 rorum

*Sebast.
Foxius
Hispanes.
de instit.
histor. p.
m. 824.*

*Gene. 11.
Vers. 31.*

*Gene. 12.
Vers. 10.*

*Gen. 20.
v. 1. &
seq.*

*Gene. 13.
Vers. 11.*

rorum Excellentium & magnorum, qui tales susceperunt non cum minimo honorum opumq; emolumento. Nescio enim, quomodo exempla hominum animos moveant, ut quod ab aliis fiat, sibi quoque putent faciendum? & qui omnes invicem veluti Simiæ simus factorum & dictorum nostrorum: immo & Simiæ quoq; ipsæ nostri? Principio igitur memoriam repeto ex sacro illo Bibliorum Codice, ubi omnium primo prius suum domicilium reliquisse legitur Tharah, Parens credentium Parentis Abrahami, qui cum hoc filio suo Fratereque ex Chaldæa in Mesopotamiam secesserat, ubi & postmodum habitavit. Magni Parentis hujus sui postea vestigiis insistens magnus Filius Abrahamus ex Patria in illam ipsam terram cum familia discessit, & modo ob annonam in Ægyptum recessit, modo versus meridiem abiit, Gerariq; ut inquilinus vixit. Loth Frater ejus versus Orientem ad Jordanum, ubi Sodoma quondam floruisse legitur, abiit: Jacobus ex Mesopotamia cum familia abiit primùm ad montes Gilead,

Gileaad, deinde in Ægyptum ad Filium
 Josephum, ibiq; habitavit, & obiit. Jo-
 sua Rex Judææ concesserat ex Ægypto
 in Judæam: & alii plurimi alias plurimas
 mutationes locorum approbarunt: quos
 imitati omnium nationum Incolæ; Hi-
 spani, Galli, Itali, Belgæ, Germani, alii-
 que, non solum multis jam retro anno-
 rum elapsis seculis, sed & præsentis. Ut
 enim jam taceam Italianam, Galliam, Hi-
 spaniam, quot cottidie ferè excellentis-
 simæ transmigrations, inter literatos
 præsertim, eveniant, quæque ex JCo-
 rum lucubrationibus publicis inspicili
 possunt & legi: Unam nostram Germa-
 niam, in eaque summum Imperii tribu-
 nal producam, quod exempla nobilia,
 quæ sc. clarissima ingenia, ex illo alior-
 sum abierint, imitanda proponet. Ecce
 namque! licet præclaris stipendiis, ma-
 gnificâ auctoritate, & excelso honore
 singuli fuerint macti, nullus tamen in
 Imperio nostro ferè Princeps, Civitas,
 status vel angulus est, qui ex isto Colle-
 gio Assessorum non sibi Consiliarios e-
 legerit & adscripserit: (a) Secesserunt

*V. de his
 D. Chris-
 tian.
 Barth.
 tom. I.
 sent. Ca-
 mer. in
 Indic. As-
 sessor.*

B 3 enim.

*Simon.
Günthe-
rum in
suo the-
saur.
practi-
cant in
catal.
Assessor.*

enim ex illo *ad Sacratiss. Cæs. Majestatem*
Andreas Gail; Matth. Held. Joannes He-
genmüller; Joannes Knoller; Andr. Kon-
ritz; Joan. Mepshe; Rupertus à Stozin-
gen; Nicolaus Zinner: *ad Electorem Mo-*
guntinum, Jacob. Jonas: *ad Electorem*
Trevirenses, Bartholom. Lathomus: *ad*
Electorem Coloniesem, Jacob. Omphali-
us: *ad Electorem Palatinum*, Hartmannus
Hartmani ab Eppingen; Nicolaus Cif-
nerus; Joan. Christoph. von der Gräuen:
ad Electorem Saxonie, Michael Kreutz:
Bonaventura Funck *Lipsiam*. Wolfgang.
à Litichavv, *Wurzium*: *ad Electorem*
Brandenburgicum, Christoph. Straß:
ad Archiduces Austria, Casparus Baldüg.
Friburgum; Rabanus Eisenhut, & Chri-
stoph. Mellinger *Oenipontum*: *ad Episco-*
pum Herbipolensem, Wilhelm. Ganshorn,
& Wilhelm. de Neühaus: *ad Episcop. Spi-*
rensem, Wernerus Roch, & Henr. de Zais-
keim, *ad Episcop. Freisingens.* Wolfgang.
Hunger, & Marius Tacitus; *ad Ducem*
Bavariae Ingolstadium Matthæus Albe-
rus, Nicol. Eberhardus, Viglius Zvvi-
chemus; & *ad alia Consilia* Christophor.
Elsenha-

Elsenhamer, Wigulejus Hund : Joan. de
Svabach, Wolfg. Viebeck & Leonh.
Zindeck : *Ad Ducem Iuliacensem*, Carol.
Harst : *ad Ducem Württemberg*. Joan. Ja-
cob. Reinhardus : *ad Marchionem Baden-
sem*, Conrad. Haller : Joan. Petr. Breiten-
acker : *In Pomeraniam*, Ottho à Proën :
Coloniam Hubert. Smetius, Conrad. Für-
stenberger. Joan. de Hove : *Argentnam*,
Joan. Wogesser. & Francisc. Frosch, *Vl-
mam* Christoph. Dorfeld, & Eitelius
Senff : *Francofurtum*, Conrad. Heckman.
Norimbergam, Casparus Cuno, & Abra-
ham Löscherus, Abavus & Avus meū
materni : *Augustam Vindel*. Conrad. Hell:
Spiram Georg. Schütz : *Lubecam* Her-
man. Weichheld : *Hamburgum* Eitelius
Trautvvein. Sed quid veteribus inhæ-
reo ? præsentia & viva adducam : Mar-
tin. Aichmannus Sereniss. mei Principis
Württembergici, quondam Cancellarius
abiit *ad Sereniss. Elector. Saxonie Dresdā* :
& honoratiss. Senex, Simon Aihin ab
eodem ad Cæsarem, & inde rursus ad
Principem : Arnold. de Reiger ex *Acad.
Ienenfi ad Marchionem Brandenburgicum*.

Archiepiscopum Magdeburgens. post ipsū
Elector. Coloniam cis Spream : Joan.
Suevius ex eadem ad Ducem Saxo-Alden-
burgicum : Joan. Schmalkalder Affinis
meus Durlaco à Marchione Badense ad
Cameram Spirenses : & ab eodem *Wor-*
matiam, Georg. Christoph. *Manfisch* à
Kranhspurg Affinis meus. Antonius
Wolff Gentilis, Patruelis & Compater
meus Argentina Darmstadium ad Land-
gravium Hassiæ, ubi Cancellarii digni-
tate fulget : Henricus *Petræus*, sororius
meus à Duce Brunsvuicensi Spirã. Sebast.
Faber Ratisbonã, Civitate hac : Jacob.
Löffler Mompelgardio : Vitus *Breit-*
schvert Augustã Vindelico. singuli Affi-
nes & Patroni mei, Studgardia : Anton.
Winter Tubingã ad Ducem Saxo Coburgi-
cum : Jacob. *Kyllinger Augustã Nördlin-*
gam : & *Nördlingã Noribergam* Georgius
Heher Affinis meus : Caspar. *Heuche-*
jud. Ial, *Neoburgo ad Istrum*, *Heilbronnã*
& alii aliorum. (a) Si ergo Majorum ex-
empla nos debent movere ; Cui quæso
hi Semi-DEI & Germaniæ splendidissi-
ma Sydera exemplo non erunt ? Quis e-

l. more
Majorū.
ff. de ju-
ris. omn.
jud. Ia-
cob. Me-
noch.
conf. 126.
num. 35.

os imprudentiæ damnaret, quis stupiditatis alicujus incusaret? Stultissimus sane, & omni ratione destitutus sit ille, necessum est, qui talia vel animo secum comprehendere, ne dum lingua ecfari ausus fuerit!

Verùm ne quis putet, saltem me exemplis decertare velle, ut quæ regulam & normam actionum non constituunt, ad tritum illud: *Non Exemplis, sed Legibus pugnandum*: hanc postremam sententiam aliis vallibus & propugnaculis vallabo & confirmabo; non quidem, ut afferam eam simpliciter: sed ut distinctionis bidente fulciam, *Dico igitur*: Officia, mutationes & migrationes dupliciter considerandas esse: *vel* enim eæ sponte obveniunt & dependent à libera cuiusvis voluntate: *vel* coactè suscipiuntur & perficiuntur. Prioris generis in duplicem classem ritè distribui denuo posse, non est, qui ambigem. *Vel* enim quis ea obire legitime & ordinariè vocatus: *vel* precibus, technis, variisq; corruptelis intrusus potius, quàm promotus. *Illà* iterum duplex: *Aut* enim obtingit illi, qui nul-

*l. nemo.
C. desert
& inter-
loc. omn.
jud..*

Mutationes officiorum in multis et differentiis, uti & Vocaciones.

Senec. e-
pist. 68.
Prov. 10.
vers. 5.
Salust. in
Catilin.
Eccl. 22.
vers. 1.
Matth. 7
vers. 10.
Matth. 25
vers. 30.
Eccles. 7.
vers. 16.

lo adhuc officio fungitur : *Aut* illi , qui
jam in negotioso isto otio vivit. Qui li-
ber curarum est , & ab officiis adhuc ali-
enus ; is, si aliqua sibi obferuntur, peni-
tius cum primis secum examinet : sit nec
ne istorum moli ferendae comodus & ido-
neus ? Quod si corresponderent vires, si
humeri validi : caveat utique se subdu-
cat, & magis cum Diogene in dolio la-
tere, quam cum Demetrio in Castris es-
se cupiat ! Qui enim talentum suum à
DEO sibi concessum bono publico non
mancipat, sed potius in inertia, pigritia,
sibi saltem & catulis suis vivere gestit, is
Filius est confusionis : Inutile terrae pō-
dus : ipsi Dii infesti sunt ; & dignus, qui
lapidetur in lapide luteo, & de stercore
(sit venia verbis) boum ; qui excidatur,
& combustioni tradatur, & in tenebras
exteriores ejiciatur, quia peccat & of-
fendit altissimum, cujus praeceptum est :
Non oderis laboriosa opera & rusticationem creatam ab Altissimo ! ita planissime
talis fugiendus, ex hominum consortio
relegandus, omni iure, dignitate, & ho-
nore privandus est: ad Exemplum *Iacobi*
Ferd-

Ferdinandi IV. Regis Castellæ Filii primogeniti, quem Pater omnium regnorum successione exuerat, in ejusque locum constituerat, filium secundo-genitum *Alphonsum*, eò quod ille contra Sardos rebellantes in Sardiniam missus expeditionem istam contra illos suscipere deirectasset.

V. Francisc. Tarapham. de orig. & regest. Regum. Hispan. p. 176.

Qui vero jam in officio sunt constituti, & ad alia per alios vocantur, illi considerabunt personam primò vocantem, deinde seipsum, suamq; fortunam interiori pectoris penetranti excutient. Qui vocat, is *vel* Jure Prætorio imperare, & mandare potest, eique quis præ reliquis omnibus mancipii quasi cujusciam fune est obstrictus: *vel* non: *Primi ordinis* omnium primus est in Europa & Germania nostra Sacratiss. & Augustissimus *Imperator*. Si enim hic commoda subjectorum investigare & Reipub. bonum dignitatemque Imperii omnibus privatis commodis antepondere tenetur: ut quon

In feud. lib. 2. tit. 52. de prohib. feud. aliè. per Lothar. cum quo consonat. l. 2. §. novissimè. ibi Reip. consul.

ff. de orig. jur. §. l. Imperialis. C. de secund. nupt. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. c. 1. memb. 1. part. 1.

quondam censuit Imp. Lotharius: quanto magis hoc competet Imperii subditis, ut omnes & singuli in Imperatoris commodum, emolumentum, & incre-

l. 2. §. sed quia. C. de veter. jur. e. nucl. mentū nervos omnes intendant, omnes actiones dirigant, omnia consilia concipiant, omnes actus, facta omnia, sensus omnes, noctes diesq; eo inclinent.

Bald. cōf. 238. n. 6. lib. 1. (a) Est enim Imper. Vicarius DEI in terris, immò corporalis ipse mundi DEUS, eminens super omnes, tanquam stella

gl. in l. bene à Zenone. §. matutina in medio nebulæ meridionalis: ille est omnium Protector; caput se-

sed sanctimus c. de quad. prescrip. culare totius Christianitatis; omnes maximi, medioximi, infimi ipsi subjeti, & hæreticus est, qui negaverit, Imperatorem esse universi terrar. orbis Do-

a) Vid. Melch. Goldast. minum & Monarchā. (b) Quapropter & illi, ut summo & generali Protectori, ut

part. 1. Politischer Reichs handel: ubi ita Principi Principum omnes ante est inserviendum, præsertim si Sacratiss. Majestas & poposcerit, & condecens salariū

Electo con-

Moguntinus in sua form. juram. Imperatorem honorat.

b) *Recess. Imper. de Anno 1566. §. Demnach. & de Anno 1570. Vom Reuterrcht. art. 10. & de Anno 1576. §. Dar durch. & §. wann dann.*

Bart. in l. hostes. n. 7. ff. de captiv. & postlim. revers.

constituerit. Et ita prior functio lin-
quenda, hæc arripienda.

Ab Imperatore proximum tenet lo-
cum *Patria*, quæ non solum ex naturæ
instinctu cuius dulcissima : sed & cui
omnia debemus, & quidem plus, quàm
Parentibus ipsis :

a) *Hæc etenim excepit nascētes matris ab alio:*
Hæc eadem fovit fidissima, ut altera Mater.
Suppeditans vitæ questus, quibus indiget usus;
Fortunas cuiusq; tenens, vimq; inde repellens,
Privatam & cōmuni amplexa salute salutem.

(b) ut hinc meritò impius censendus ille,
qui eam deserit: sicut contra æternâ lau-
reâ & adoreâ dignissimus, qui ei inser-
vit, qui pro ea etiam mortem oppetere
non veretur, & qui exempla veterum
Romanor. sibi semper ob oculos ponit,
qui pro Patria nobilissima gesta patra-
runt; (c) quales fuerunt *Curtius, Mutius,*
Cocles, Regulus, Decij & alij. Et apud A-
thenienses, *Codrus, Themistocles, Thrasi-*
bulus, Apud Lacedæmonios, *Basilides,*
Cleomenes, Agesilaus, & permulti alij.

Patriæ

Latino-Vngar. Albert. Molnard.

b) *Aym. Cravett. cons. 697. n. 7.*

c) *V. Camill. Borell. cons. 7. n. 8.*

Ioseph.
Mascard
de prob.
conclus.

1176. n.
25.

Iacob.
Menoch.
cons. 161.

num. 39.

Erenck.

L. B. lib.

3. de pri

c. 6. n. 9.

Frider.

Mockel.

de præ-

miis. cōc.

96.

Prosp.

Farin. tr

crim. tit

de homi-

cid. qua.

120. n.

122.

a) *Car-*

men Con

radi Rit-

tershus.

in dictio.

Aristot.
lib. 5. eth
Senec. lib
6. de be-
nef.

Esai. 1. 2.
Prov. 17
vers. 13.

Sophocl.
in Ajax.
flagit.

Ita pecu-
liaris
sanctio
apud Ra-
isbonen-
ses.

Patriæ succedunt illi, qui victum & amictum præbuerunt, qui stipendia largiti fuerunt, quibus quis ad istum honoris & fortunæ portum tutâ anchorâ pervenire potuit. His enim ante reliquos omnes inserviendum, & gratias referre famularique illis oportet, qui gratiam fecerunt, acceptumque tale beneficium æternæ memoriæ infigendum est. Lamentabilis enim illa apud Prophetam vox est: *Filios enutrivisti, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me;* quam iccirco cane pejus & angue fugiant quilibet, ut à domo eorum mala & dira execrabilia recedant. Verùm

Ὡς ταχὲν ἢ τοῖς βροτοῖς

χάριν διαρρῆναι καὶ προδῆσ' ἀναλωκεῖται;

Quam citò mortalibus

Beneficiū perit, & amissum deprehēditur?

Et hinc plerisque in oris peculiari sanctione Proceres malo huic obviam ire conando, ne catulos luporum se aluisse sentire cogantur, ne pro perca scorpium accipiant: recte ii, qui in stipendiariorū consortium adsciscuntur, Sacramenti quasi alicujus tessera & jurisjurandi religione.

ligione se obstringere tenentur, se nempe, cum maturioris ætatis & firmioris Judicij facti, & ad metam studiorum pervenerint, ita, ut Deo & Reipub. operas suas locare commodum potuerint, illas primariò his, quorum stipendiis in castris illis Gratiarum meruerunt, fore consecratos: quo in casu tamen postmodum tales non mancipia æstumandi; sed similiter probum salarium iis constituendum est. Atq; hæc de persona vocante, cui præ reliquis omnibus jure naturæ gentium, & civili inservire tenemur.

Sed cum & sæpiusculè accidat, ut & quis vocetur per eos, quibus nullo jure alioquin est obstrictus: iccirco monui: hoc in casu vocatum propter se ipsum perpendere debere, quid in re sua facto opus, & consulto usus sit. Nolumus enim, ut quis quamlibet occasionem arripiat, & velut Canis è Nilo ad eam prorumpat: sed à fronte simul & occipitio oculatum, & tanquam de specula perspiciat, volumus. Unde, me judice judicabit, sit ne Respub. illa, vel Princeps, cui
in ser-

inserviit haecenus, evidens aliquod ex
sui abitione perpeffura periculum & da-
mnum, vel non? *Si illud*: mansionem
suaderem potius, quàm abitū. Ut enim
contemnendus est, qui in navigando se,
quàm navem incolumem vult: ita vitu-
perandus & ille, qui in Reipub. discrimi-
mine suæ plus, quàm communi saluti
cupit consultum. Et ignominiam gene-
rant, quæ in mediis conatibus ægra de-
seruntur:

*Cic. lib. 4.
ad He-
renn.*

*Cassiod.
lib. 4. e-
pist. 21.*

*Senec.
tragæd. 5*

*Caspar.
Brusch.
lib. 3. hist
Rom. c. 1.
fol. 291.*

*Horat. 4
carm. 9.*

Haudq; est virile terga fortune dare.

Quin potius imitetur quis Exemplum
C. Mævii. Augusti Centurionis, qui cum
captus ad Antonium perduceretur, in-
terrogareturq;: Quid de se statui jube-
ret? Jugulari me, respondit, jube! quia
nec salutis beneficio, nec mortis suppli-
cio adduci possum, ut aut Cæsaris Miles
esse desinam aut tuus esse incipiam: scil.

Sic animus fiet

Rerumque prudens & secundis

Temporibus dubiisq; rectus.

Hoc tamen in casu exantlandorum pe-
riculorū condigna etiam sequi debent
præmia, salarium augendum, & aliis a-
micitia:

amicitiæ benevolentiaq; officiis obcur-
rendum est. Qui enim majori periculo
expositus, & plus laborat, majus quoq;
nanciscetur salarium & consequetur
præmium. Si vero Respub. aliqua ex a-
licujus mutatione nullam sentit noxam
aut discrimini exponitur: tum vocatus
denuò non *παχυλῶς* & crassâ, quod a-
junt, Minervâ illicò consentiet, sed ru-
minabitur prius: *possit nec* ne alibi ma-
jori commodo & usui, DEO & Reipub.
præesse: *vel* nullo, *aut* certe pari & æ-
quali? Si alibi uberiores segetem colli-
gere, & talentum à DEO sibi concessum
præstantius locare potis est, tum in no-
mine sanctiss. Trinitatis lætus, lubensq;
abeat, non curans, quidquid indomitū
vulgus, quidquid torvi Catones, quid-
quid Rhadamanthei Sulpitii suggillent,
quidquid libitinarum rabiosulorumq;
rabularū intemperies murmuret: Exem-
plum imitatus Apostolor. gloriosissimi,
sacrarumq; literarum spirarchi summi,
D. Pauli, qui vocatus in Macedoniam,
illuc abiit, ibiq; majori, quàm in Troa-
de vel Mysia Evangelium fructu docuit:

Immo

*Phil
Corn.*

cons. 58.

n. 8. Vol.

4. Borgn

Cavalc.

decis. Fi-

vix an.

20. n. 46

part. 2.

Acto. 16.

Vers. 10.

& seqq.

Luc. 4.
Vers. 43.

In conci-
on. Vale-
dict. Gies-
sens. do-
ctr. 5. pag
531. part.
3. postill.
Academ

Idē part.
2. ant. p.
1. in vo-
tis. car.
ad Ieho-
sam.

Immo ipsius Salvatoris nostri, qui in Sy-
nagoga Judæorum in Civitate sua Ca-
pharnaum diutius docens, plura mira-
cula patrans, & postea in desertum abi-
ens, à turba rogatus, ne discederet: re-
spondit: *Oportet & me alijs civitatibus
evangelizare Regnum Dei, quia ideo missus
sum*: Et ita secum animo revolvat, hanc,
quæ sic ipsi obtigit, vocationem esse pu-
re divinam, pariter, ac si Christus verba
illa *emphatica, ME SE QVERE*, ad illum
ipsum protulisset: censeatq; ulterius; ta-
lem mutationem non esse mutationem
vocationis, sed tantum loci, sicut ex B.
Augustino piè & nervosè loquitur, ner-
volus Theologus *Casparus Finckius*, Fau-
tor & Amicus meus, quem honoris cau-
sâ hîc nomino: adeoq; cum illo ipso de-
votâ mente voceq; honorâ exclamet:

Ibo ex districtu hoc, Sathana frédete, gemente:

Ibo, sed auspicijs, summe Iehova, tuis.

Ibo in qua Angelico & fido comitatus Achate:

Officij partes, sic bene fidus agam.

O Deus! mecum! & quia venit vespera mundi

Sis Helice sacra, sis Cynosura Via!

Si non majori, sed pari vel æquali com-
modo quis alibi inservire potest, tum ve-
lim

lim examinet secum iterum atq; iterum
priorem, quam jam nactus erat spartā,
sensura sit nec ne Respub. aliquod da-
mnum? excutiat insimul etiam marsu-
pium, consideret salarium; possit nec ne
ex illo se & suos commodè alere, iisdem
alimoniam præstare; an verò ultra illud
etiam patrimonium suum consumere,
& misere tamen quandoq; vivere cogat-
ur? *Quod* si hoc senserit, & animadver-
terit alicubi lautius & splendidius sala-
rium alicui destinari: Tum & in hoc ca-
su ambabus, quodajunt, ulnis illud am-
plectatur, priorem deserat, & ita sibi su-
isq; quâ fieri potest commoditate, con-
sulat, idque duplici ex ratione. *Primo*
propter se ipsum. *Deinde* propter fami-
liam suam, & si qui sunt, liberos. *Pro-*
pter se ipsum; ut reddatur agilior, para-
tior, & fungendo ritè officio suo prò-
ptior. Namque ut de suo hoc largiatur
Naso Poëta mihi.

*lib. 2. de
Pont.*

*Vid. Fer-
nand.*

Vasqu.

*lib. 1. il-
lustr. 9.*

*in pref.
num. 84.*

*Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non movet: & gratis pœnitet esse probū.
Nil nisi, quod prodest, carum est: En detra-
he menti*

Spem

*Spem fructus avidæ, nemo petendus erit.
At reditus jã quisque suos amat, & sibi qd
Vtile sollicitis cõputat articulis. (sit*

D. Paul. Propter familiam & liberos, ne & ipsos
in epist. ad egestatis terminos redigat, quod &
post. ad contra expressum mandatum divinum,
Corinth. ubi DEUS inculcat Parentibus, ut Filiis
12. & 14. suis thesaurizent: & contra paterni no-
Ernest. minis pietatem; cui incumbit etiam
Cothmã. propriæ valetudinis curam negligere,
Salm. 2. quo mortuo eo, Filij amplas facultates
resp. 96. domi reperiant. Si verò alicui æquali &
num. 56. commodo, & Salario pari forsan alicu-
Barthol. bi vivendum, tum potius is in priori sua
Socin. functione permaneat, quàm cum gravi-
conf. 116. ori rei familiaris & fortunarum suarum
nu. 6. in dispendio abeat, sicq; & se & suos exitio
fin. Vol. 3 confecret, contra notissimam illam juris
Vulg. l. & rationis regulam: quâ aliàs nemo su-
cum de um jactare præsumitur.
indebit.
ff. de cõd
indeb.

Et hæc quidem de vocatione *ordina-*
ria, quam insequitur *precaria*. Ubi pri-
Alexãd. mo hoc monitum auribus inculco, me
Raudẽs. hanc non plane ire exterminatum: Scio
decis. Pi- quippe, hodie dignitates & officia rarò
san. 40. concedi solere motu proprio, sed eam
n. 369. **excludere**

excludere saltem conor, quæ fit per mu-
nera, per preces, per intrusionem, & nõ
per modum virtutis: Talis enim est pe-
riculis plena, perniciofa, suspecta & im-
proba: Paucique sunt, qui cum Aphri-
cano illo majore libentius voluntarium
subire exilium malunt, quàm Romæ
ambitiose certare. Unde etiam factum,
ut Jcti decreverint, contra eum esse præ-
sumendum, qui affectat dignitates, ho-
nores & officia. Infausto quidem hoc
seculo nihil istis communius, nihil usi-
tatius, tam in foro Ecclesiastico, quam
Politico. *In illo* enim cottidiè ferè usu ve-
nire videmus, ut plerumq; unus, qui u-
nicum, quamvis modicum, officium vix
implere sufficiens sit, plurimorum sibi
vindictet stipendia, quæ multis literatis
vitæ puritate pollentibus & qui mendi-
cant, possent sufficere: quod virus Petr.
Gregor. Tholosan. Jc. famosissimus a-
liunde non serpere scribit, quam ex me-
ra & execrabili religiosorum avaritia &
ambitione, cui quantò plus indulgetur,
tanto plus est importuna in petitione, &
magis nocet causæ spirituali. Et hæc
causam

V. Adam
Keller.

lib. 1. de
offic. ju-
ridico-
pol. c. 17.

p. 144.

Vid. Me-
noch. de
presum.

lib. 1. q.
17. n. 10.

c. pres-
byteros.

16. q. 1.

In com-
ment. ad
decretal

tot. de re
script. lib

1. c. 16.

n. 2.

c. execra-
bilis. de

præbend
in extra.

G. Inann.

xxii.

*Idem d.
tr. tit. de
elect. c. 9.
num. 5.*

*Corn. Ta
cit. lib. 4
Annal.*

Epist. 10.

causam præbuit Christianæ disciplinæ
confusioni, perniciesq; hinc nata est, ex
quo bona Ecclesiæ, quæ pauperibus a-
lendis distribuenda erant, in venerabili-
um Dominorum domos trāsrapta sunt.
In politico vero foro, istis similiter nihil
est tritius, nihil consuetius, ubi L. Julia
de ambitu jam floccipenditur; ubi piis-
simorū Imperatorum statuta condemnū-
tur: ubi contra leges grande peccatum
peccatur: Ubi Tiberii Imp. qui spectatis-
simo cuique res suas administrandas de-
mandabat, prudentia albis dentibus ri-
detur; ubi ex illis nundinationibus o-
mnes provinciæ, ut Æneas Sylvius, post-
ea Pontifex Pius II. dictus, quondam re-
spondit, ignorantia plenæ sunt. Unde
ab eiusmodi quilibet, cui fasces regimi-
nis demandatæ, severissimè sibi caveat!
ambitiosos tales ocysime repellat! mul-
tet! puniat! Sic aliis emeritis & digni-
oribus portæ dignitatum patebunt: Sic
labores condigna mercede remunera-
buntur: Sic Respub. florebit: sic cives
incolumes servabuntur: Sic terrestris
Paradisus aliquis coletur & videbitur. O
beatum

beatum tale seculum! ô campos Elyfios!
ô fortunatissimas Insulas : ubi tale mo-
nitum, consilium tale animis est inscri-
ptum, non libris vel pagellis! ubi aures
patulæ, non occlusæ; ubi oculi Lyncei;
non obtusi; ubi nares sagaces, non ob-
esæ. Quapropter nemo se aut non voca-
tus, aut conscius suæ imbecillitatis in
officium aliquod intrudat: quia talis pec-
cat mortaliter. Observent etiam hoc
illi, qui Reipub. aut Principi aliquem
ita commendant, ac si solus ille albæ el-
let gallinæ Filius. Parentes nimirum,
Cognati, Adfines & alii, qui suos saltem,
sint vel illi Dromones, Lentuli, Mopli &
scarabæi, cupiunt esse promotos: reli-
quos vel æquè rerum prudentes, vel lon-
gis quod ajunt parasangis doctiores re-
spuunt, eosq; fungos, bardos, blennos
Asinosq; rudes, Asini ipsi & Orphiliæ æ-
stumant.

Hactenus de functione vel mutatio-
ne officiorum *ordinaria*, cui alterum ab
ea divisum membrum adjunxi *coactam*:
quæ mihi tum obtingere videtur: *Primo*,
quando si quis ad officium aliquod ad-
spirare

Martin.
ab AZ-
pilcuet.
tom. 3. o-
per. 111.
de Vanit
glor. &
ejus fili-
ab. c. 23.
rubr. de
vanit.
glor. n. 15
fol. 204.

DD. Thō.
Lans. dis-
sert. de
Academ
lit. F.
pag. 17.

*V. de hoc
more D.
D. Ioan.
Vainckel
man tō.
3. disp.
Giessens.
Theolog.
1. thes. 78
& Luc.
Bacmei-
ster. disp.
de vocat
ministr.
& dixi
ego in col
leg. meo
polit.
disp. 12.
concl. 6.*

*D. D. Er-
nest. Cor.
mā. resp.
Academ
35. n. 6.*

spirare conatur, prius non auditur, vel
admittitur, donec vel Filius fuerit, vel
hujus aut illius relictam viduam, vel Fi-
liam matrimonio sibi adsociaverit: Qui
mos corruptissimus licet sit; in civitati-
bus tamen, Aulis & Politiis non solum,
verum & Ecclesia jam dudum pernicio-
sissimo exemplo inolevit. Eradicandus
est ille sanè, non meo, sed aliorum ma-
gnor. virorum Judicio, ut quod ex eo sic
pulpitis nonnunquam insulsi præfician-
tur Asini: Curia, templo & Scholis ob-
trudantur Orbili, & ita salus publica,
cujus suprema lex esse deberet, naufra-
gium persentiscat. Deinde accidit etiam
illa mutatio, si quis pedum fugâ auxili-
um quærere cogitur, & in Exilium mit-
titur: quod licet per se amarum sit & fle-
bile: tamen si præter culpam eveniat, æ-
quo animo ferendum suaderem, veluti
comparatione & consideratione immi-
nentium malorum salubre & frugiferū:
Sicq; DEUS implorandus, qui in ejusmo-
di calamitatum igni suos probat & ad
Lydium lapidem reducit, donec ex mi-
seriarum hac valle ad æternam illam &
coele-

caelestem Patriam perduxerit.

Patet igitur ex modo dictis omnibus, quid de functionibus & mutationibus officiorū sit sentiendum, & quomodo illæ vel ineundæ vel respuendæ sint. Quæ cum ita rationibus suffulta, facilis jam ad argumenta dissuasoria mihi esset responsio, nisi viderem jam vos Auditores omnium ordinum humanissimos, mihi prope infensos, qui brevitatem pollicitus in tædium aurium vestrarum prolixitate nimiam incurri. Quapropter vela complico, cano receptui, & ad id, cujus gratia amplissimus hic conventus institutus, animum vocemq; adplico.

Te ergo, ter Maxime, ter Sanctissime, ter optime DEUS ex interiori animi mei secessu humilimam mente, devotissimo corde saluto: Qui me indignissimum, minimorumq; servorum tuorum minimum, ex hoc tuo cœtu, ex hac à te hactenus clementissimè conservata Republica, præter meam omnem spem & fiduciam solius tua paternâ curâ & providentiâ avocasti, qui primum meam functionem relinquere, & ad Principem Au-

C lamq;

*Precatio
Author.
ad Deū
T. O. M.
pro Du-
cat.
Würtē-
bergico
& felici
itinere.*

lumq; me abire jubes, *Principem* nulli
virtute secundum; *Principem* verbi tui
acerrimum Defensorem, *Justitiæ* Athle-
tam, oppressorum tutissimam ancho-
ram & refugium: largire, ô largire tuam
hanc vocationem recto & felici pede se-
quar! Dirige *Serenissimi* illius mei *Prin-*
cipis in me animum! amore da me pro-
sequatur, Eum Ego debito honore &
submisso venerationis cultu! *In itinere*
dona viam à latronibus, à bestiis, à diris
quibuscunq; tutam! *In ipsa mea functio-*
ne concede in corpore sano sanam men-
tem; consiliis prudentiam; actionibus
promptitudinem & secundum succes-
sum! tendant eæ in sacrosancti tui no-
minis gloriam; incluti Ducatus, subdi-
torumq; perennem fortunam; mei me-
orumq; non intermorituram memori-
am & commodum! *Absit* à me omnis fa-
stus, inanisq; gloriæ fumus! Sciam me
meo metiri modulo! ambitio, adulatio,
arrogantia, livor, aliaq; vitia, quæ dete-
staris tu ipse, & proximo sudes in oculis
sunt, longissimè è pectore exulent! *Can-*
simplicitas, dexteritas, affabilitas,
&

& quam primum nominare debuissim,
pietas illud perpetuo *inhabitent*; domici-
 lium inibi figant; ut cor meum habita-
 culum sit Spiritus tui Sanctissimi! *Ante-*
cessores, Superiores & qui proximum à
 Principe locum tenent, fac omni reve-
 rentiâ colam: *Collegas* meos fraterne di-
 ligam: erga *Pares* sim mansuetus, erga
inferiores humanus, erga *singulos* offici-
 osus! Extende manus tuas protectrices
 in *Principem* meum, suæq; Serenitatis
 Sereniss. *Conjugem*; Illustriss. *Filios*: ge-
 nerosissimas *Filias*: *Celsissimos Fratres*:
 nobilissimos *Proceres*: amplissimos *Con-*
siliarios: fidelissimos *Officiarios*: paratiss-
 simos *Subditos*! Protege, sustine, dirige!
 qui protexisti inclutam domum hæc-
 nus à Martis impetu; qui sustinuiisti pro-
 ximam cladi & ruinæ; qui direxisti o-
 mnia sapientissimè, ne, sicut aliis obti-
 git, in Scyllam vel Charybdin incidere,
 aut præda indomito Militi facta fuerit.
Tibi grates, tibi gloria, tibi laus & honor
in secula!

Conserva etiam ô Immense, ô æterne
 similiter hanc laudatissimam Rempub. sub
 C 2 cujus

Preces
pro Rep.
Ratisbo-
nens.

cujus umbone, & alis hactenus apricari
vitamq; ducere licuit ! Da amplissimo
Senatui porrò auream istam pacem in æ-
vum ! largire prudentiam, valetudinem,
vitamq; incolumem, quo sicut in hunc
usque diem laudabiliter : ita & in poste-
rum *Justitiæ fortissimi Patroni*, sanctio-
numq; *Politicarum strenui Protectores*
audiant ! *Symmystas & Pracones* verbi tui
in puritate fidei & Religionis tuere ! da
docilem animum *Auditoribus*, patienti-
am & spem melioris *Zephyri Exulanti-*
bus ! Iustitiæ Sacerdotibus largire æquissi-
mam stateram, quo unicuiq; jus suum
tribuant ! *Medicis* sinceram juvandi men-
tem & facultatem ; *Praefectis Gymnasi*
fœcundam vocem : *discentibus* commo-
dum animum ! Erudi eos & educa ad ful-
cra futura, firmissima *Ecclesiæ tuæ &*
Reipublicæ ! Civibus concede devotam
erga Magistratum obedientiam, concor-
dem *inter se invicem* animorum conjun-
ctionem ! *Parentibus* in Filios sincerum
affectum ! *Liberis* in eos verum obsequi-
um ! *Floreat tranquillitas* universim ! vi-
geat *pax ! vigescat Concordia !* Relege-
tur

tur è thoro furialis illa bestia ! Extirpen-
tur vitia ! Vincant virtutes ! ut sic ad
præcepta tua. viventes tandem æternæ
gloriæ coronam deportent, quam im-
positurus es omnibus Te timentibus.

Sed quas vobis, *Patres Conscripti*, Do-
mini Gratosi, quas vobis *viri Reverendi*,
quas vobis *Viri undiquaque celebratissi-
mi*, quas inquam, vobis omnibus & singu-
lis gratias referam ? O quam vellem non
modio, sed horreo toto, si virium mea-
rum esset ! Vos etenim non solum me
favore, amore, fuistis prosequuti: Sed &
officiis condecorastis in *Curia* vestra, in
Synedrio vestro, in *Gymnasio* vestro. Hu-
manissimos Vos semper & mihi sensi &
benivolos, atque ad exemplum vestrum
etiam *Cives vestros* & *Incolas*. Non me-
rui ! fateor, quid refert ? hoc ipsum de-
lectat vobis, *Viris Magnis* & *judicibus*
cordatis meruisse videri. Unde si de Pa-
tria hac bene possum contrà mereri, non
erit immunis mea quies. Habui vos *Col-
legas* mihi faventissimos, habui vos *Au-
ditores* mihi Amicos. Non merui iti-
dem, fateor, & hoc unice mihi dolet,

C 3 quod

quod unâ hac injuriâ (sicut olim ingeniosè ille ad Cæsarem) me afficitis, ut vivendum & moriendum mihi sit ingrato. *Persistite*, rogo vos submisise, *persistite!* in istoque stadio, quo cœpistis, percurrere pergite. Juro Ego, quia trahitis & nectitis me vobis adamantino quodâ filo, Vos etiam me in ævum devinctissimum habituros, filumque hoc nullam vim, fraudem nullam laxaturam aut soluturam, donec

Lumine adempto animam moribundo corpore fundam.

Ita animus vobis omnibus & singulis obligari cupit, & nunquam dependere, ut pendeat à Vobis. Jubete igitur, & dicta facta putate! Jussa Ego vestra tam avidè amplectar, quàm Amynionè suam Neptunus. Interim vos, quod benigni Creditores solent, voluntatem meam accipite in solutum, vel promptitudinè sanè animi in Syngraphum; quod si læfero, si fefellerò, tum Tu Cana Fides & Numen Phylum vindicatote! Ita valete, florete, vigete, & favete! *Amplissime Domine Camerari-Consul: Magnifice Dn.*
Dire-

Director : Excellentissimi & Prudentissimi Domini Senatores : Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Ornatissimi, & Spectatissimi Dnn. Pastor & Symmystæ, Prætor, Reipubl. Consiliarij & Advocati, Physici, Syndici, Gymnasi ReCTOR & Collaboratores, Civesque & Auditores, qui adestis reliqui, Domini longè benignissimi, Patroni, Adfinēs, Compatres, Agnate, Patruelis, debitâ observantiâ colendi, Collegæ exoptatissimi, Fautores & Amici singulariter honorandi: Tuq; studiosæ Iuventutis Concio Nobilis, Letissima, & florentissima! VA-

LETE, FAVE TE!

DIXI.

C 4

AD



AD

ORATIONEM VA-
LEDICTORIAM NO-
BILISSIMI, CLARISSIMI,
& Excellentissimi Viri,

DN. JOANNIS ULRICI
WOLFFII à Zodenwarth J. U. D. Cele-
berrimi habitam in Gymnasio Ra-
tisbonensi, VIII. Februarii stil. Vet.
Anno 1626.

RESPONSIO SVCCINCTA

M. SEBASTIANI HEMMINGERI
Pastoris & Superintendentis
ibidem.



ISCESSVRVS HINC
adfunctionem illam, ad quam
nuperrime Illustrissimus ac
Celsissimus Princeps & Do-
minus, Dominus JOANNES
FRIDERICUS, Dux V Vürtembergicus
& Teccius, Comes Montisbelgardi,
Dominus in Haidenhaim &c. Dominus
meus

meus clementissimus, legitime TE cle-
mentissimè vocavit; Vir Nobilissime, Cla-
rissime, Consultissime, egregia virtute
& eruditione præstantissime Dn. Joan-
nes Ulrice V Volffi, J. U. Doctor, excel-
lentiss. & eminentissime, Domine Fau-
tor & amice plurimum honorande: Di-
scessurus, inquam, valedixisti prius, Ora-
tione sanè, sive quis rerum & sententiarū;
sive verborum momenta, pondera, appa-
ratum, copiam varietatem, Veneres, Lepo-
res & flosculos spectet, gravissimâ, politissi-
mâ, instructissimâ, elegantissimâ. Et vale-
dixisti Civitatis hujus Imperialis antiquis-
simæ pariter & celebratissimæ, fulcris &
columnis, Consuli amplissimo: Directori
magnifico, cæterisque excellentissimis &
prudentissimis Senatoribus, Patriæq; Pa-
tribus laudatissimis, Dominis nostris bene-
volentissimis, omniq; observatiæ cultu pro-
sequendis, Reverendo dehinc ministerio,
Dominis Collegis meis charissimis; post re-
liquis, Nobilissimis, Consultissimis, expe-
rientissimis, Clarissimis, literatissimis, Or-
natissimis, Spectatissimis & humanissimis
Viris & Dominis: Pratori Reipub. Consili-
C S arijs,

arijs, Advocatis, Medicis, Syndicis, Gymna-
sij Rectori & Collegis, Civibusque & Audi-
toribus quotquot hinc adsunt, universo de-
nique etiam cœtui Scholastico.

Rectè autem, meo quidem iudicio, statim
in vestibulo & limine huius tuæ Valedicto-
riæ Orationis, de humanæ fortune incon-
stantia & mutabilitate, dicere aliquid &
differere es aggressus.

Etenim, quàm lubrica illa sit, quàm in-
stabilis & volubilis, hoc vel cum primis et-
iam ex crebris illis locorum, officiorum &
vocationum variationibus & mutationib.
lucet. Hoc quotidiana comprobatur experi-
entia. Contestantur hoc plurima illa &
maximè memorabilia, abs te allegata præ-
cellentissimorum, omnique laudum genere
cumulatissimorum virorum, exempla, Imo
hujus, vel in te ipso quoque exemplum ha-
bemus domesticum quasi & luculentis-
simum.

Venisti enim ad nos ante novennium
ferè, iuvenis admodum, receptus ab Am-
plissimo Senatu in numerum & ordinem
Advocatorum & Consiliariorum. In hoc
autem statu, lubrica illa DEA (liceat enim

ita

it à loqui, ut multi, etsi sentio, ut pauci) te non diu subsistere passa est, & consenesce-
re. Vix enim quadriennio exacto, aliò te vocavit & traxit, mox, conversà quasi ro-
tâ, retraxit, & ad pristinam stationem re-
vocavit. Nec hîc diu quievit. Paulo post e-
nim favente illa (sic enim virtus tua mere-
batur) in Assessorum Synedrj Ecclesiasti-
ci, & Scholarcham dignissimum adlectus
fuisti, & ascitus.

Quibus omnibus officijs, & honoribus fi-
de, industria, dexteritate, utilitate & lau-
de tuâ magnâ & singulari hætenus es per-
functus. Iam virilem vix ætatem ingressum
(nam ante octiduum trigesimum pri-
mum modò ætatis annum complêsti)
subitò te, præter omnem expectationem,
nihilque minus cogitantem, ad altiora, ad
ampliora, ad splendidiora, hinc Stuttgar-
diam, Ducatus Wûrtembergici Metropo-
lin, locum amœnissimum avocavit, avocatu
mittit, ut Principi optimo & laudatissimo,
Principi pientissimo, munificentissimo, o-
mniumque Doctorum & literatorum fau-
tori & Meccœnati maximo à consilijs.

Quæ vocatio tua, & si ardua est, & splē-
dida

didā; ex omnibus tamen circumstantijs li-
quidò satis, & abundè, soleque meridiano
clariùs patet; esse illam planè legitimam:
& non sine singulari divina dispositione &
providentia obtigisse, & ità comparatā,
ut tàm facile haud potuerit detrectari, sed
vocanti Deo, omnino fuerit parendum, &
obsecundandum, qui nos pile instar &
globi, in amplissimo mundi hujus theatro,
jam hūc, jam illūc, volvit, revolvit, imò
projicit quasi & propellit.

Et mihi credas velim, nec in hoc tibi
stadio diu decurrere licebit, sed, paucis
elapsis annis, adhuc splēdidior fortuna,
utpote, quam & hactenus non inimicam,
sed amicam, non adversam, sed secundam,
non conantem, sed faventem, non sevam &
rigidam Novercam, sed blandam quasi
Matrem expertus es, affulgebit.

Cum autem, etiam juxta Sophoclem,
gratia semper gratiam pariat: ideò &
nos quoque omnes, gratis animis agnosci-
mus, valedictoriam illam Orationem, quā
ante discessum, Excellentia tua, ad nos ha-
buit egregiam. Gratis etiam animis agno-
scimus plurima illa & vota pia, quibus il-
lam

lam refer sit; nulli dubitantes, quin ea sit
adimpleturus, & rata habiturus, qui so-
lus potest, & quem Excellentia tua tam
ardenter in vota vocavit, & à quo, tan-
quam perenni, & inexhausto fonte, omnia
bona ubertim scaturiunt & promanant.

Quin gratis quoq; & lubentibus animis
agnoscimus, & amplectimur officia illa,
quæ E. T. cum Inclyto Senatui, tum nobis
omnibus, tam promptè, tam liberaliter,
tam seriò, tantâq; cum asseveratione, ob-
tulit & promisit.

Idem E. T. si indigeat, repromittit Am-
plissimus Senatus, idem R. Ministerium;
idem cæteri, quotquot celeberrimo huic a-
ctui, & Conventui inter sunt, Viri Nobilif-
simi, Consultissimi, Experientissimi, Orna-
tissimi, Spectatissimi & Humanissimi: idem
quisq; pro viribus.

Eadem quoq;, nempe fausta & saluta-
ria quæque, Vir clarissime, discedenti ti-
bi, & jam jam abitum à nobis paranti, &
ad iter cum familia sese accingenti, ani-
mitus reprecamur, & de nova nacta spar-
ta honestissima, toto pectore congratula-
mur omnes.

Gratu-

*Gratulatur Senatus Inclytus: gratu-
latur Ministerium R. gratulantur cæte-
ri Nobilissimi, Consultissimi, Experientis-
simi, Ornatissimi, Spectatissimi & Huma-
nissimi Viri: gratulatur denique univer-
sus quoque grex & Cætus Scholasticus.*

*Dei Deus Opt. Max. ut iter institutum,
ex animi voto, & sine ullo diffortunio, di-
vino tectus Numine, & Sanctissimorum An-
gelorum stipatus satellitio & presidio, quã
felicissimè emetiaris, & conficias! Det
corporis Sanitatem, det vitæ longitudinẽ!
det in obeundis officij munijis Sp. S. gratiam
& assistentiam! det Salutaria consilia!
det consiliorum felices successus, prosperos
& exoptatos eventus! det benedictionem
spiritualem uberrimam! det vitam omni-
bus bonis affluentem! det Principem cle-
mentissimum! Ut pro præclara illa & insti-
gni eruditione, quã præ multis alijs prædi-
tus es & ornatus, & pro excellentibus illis
animi dotibus, quas divina in te Majestas
contulit affatim, honori & emolumento sis
maximo, cum Serenissimo Principi; tum
patriæ meæ dulcissimæ & charissimæ, cujus
amor omnibus per naturam insitus est, ita,*

ut

ut & Ithacus ille optaverit, saltem fumū
de patriis posse videre focis, & Ovidius
scribere non dubitaverit:

Nescio quā Natale solum dulcedine cūctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Vivas, vivas inquam, Clarissime & nobis
omnibus charissime & desideratissime D.
D. VVolfi! vivas quā longissimè! vivas
nostrī non immemor unquam! & licet cor-
poribus jam disjungamur; animis tamē
vivamus, simus & maneamus quā coniu-
ctissimi! Floreat quoque, & vigeat Illu-
strissima domus Württembergica, Sedes
& hospitium veræ & yvnoios Lutheranae
Ecclesiae, cum suis Principibus, Satrapis,
Proceribus, Consiliarijs, Fulcris, lumini-
bus & Incolis, quā diutissimè? Hanc, uti
hactenus, ita & in posterum, ab omni ho-
stili assultu & aliis quoq; malis, incommo-
dis & cladibus, in pace & tranquillitate
aureā, ad divini nominis sui gloriam, & Ec-
clesiae salutem, hisce praesertim postremis,
turbulentis, exulceratis, & conclamatis
temporibus, & in hac delira, effoeta, & ad
praecipitem ruinam, inclinata mundi sene-
cta, sub umbra alarum suarum, pro pa-
terna

terna & immensa sua bonitate, custodiat,
protegat & conservet Magnus ille Iehova:
Rex Regum, & Dominus Dominantium:
Ità ex imis Cordium nostrorum penetrali-
bus voyemus: ità reprecamur
omnes.

DIXI.

SE-

SEQUUNTUR JAM EULOGIA
& adclamations votivæ Fautor.
Patron. Amic.

I.

*Nobilissimum, Consultissimum & Amplis-
simum Virum,*

DN. IOANNEM HVLDERICHVM
WOLFFIVM, I. V. D.

*Clarissimum, designatum Cossiliarium Württembergi-
cum, amicum suum veterem, Candidum, ac multis no-
minibus honorandum, è nobili Ratisbona ad officium
abiturientem, carmine allusorio con-
sequebatur*

H Aud sine re duplex dedit hoc tibi *Gratia* nomen,
Si germana sonem, si vel Hebræa sonem.
Gratia namq; duplex, duplici te foenore stipat,
Gratuita ista *Dei*, *Tecciaca* illa *Ducis*;
*Gratia*q; *Ambrosios* destillat ab ore liquores,
Gratia te genuit, te *Charis* edocuit
Gratia te primis, gratum te præstitit imis,
Et mediis, studium quos sociavit idem.
Gratia te *Christi* *Cœlo* post fata locabit,
Mecum *gratiloqui* ceu docuere senes.
Ergo *Lycaonium* decuit te dicier? ergo
Agnivori licuit nomen habere *Lupi*?
Nempe per *Antiphrasin* cognomen es illud adeptus;
Quem *favor* expoliit, quis putet esse *Lupum*?
Sit *Lupus* hæreticus, sacris qui sævit in aris,
Tu sis in sacris mitis, ut *agnus*, agris.

Sic

Sic tibi, sic *Wolff*, favor appluet imbre perenni,
Ille *Dei* magni, *Tecciaci* iste *Ducis*!
Cum *Lupus* ac *agnus* concordi corde *facebunt*,
Hujus & *illius* tunc quoque finis erit.

Casparus Finckius SS. Theol. D. General. Superint.
Pastor, Assess. & Professor Saxoa. Coburgi.
Anno 1625. ipsa feria Thom. Apostoli. L. M. Q.
II.

E I D E M

Nobiliss. & Consultissimo Viro,

DOMINO, IANO VDALRICO WOLFIO
à *Zodtenwart* I. C. & *Consiliario* *Württembergi-*
co & c. *Adfini* & *Amico*, nimum
quantum honorando.

S Anctus erat quondam mihi *Consuetudinis* usus
Cum *Patre*, *mi Wolffi*, *clare Themista*, tuo.
Præter id affini quod *eram* *sanguine juncti*:
(*Nexus amicitia* hic *dignus honore piæ*)
Vtilis, ad *quævis pietatis munia*, *cultus*,
Coeliffuæ & *purus religionis amor*;
Cana fides, *nivei quem Cordis* in *æde fovebat*;
Virtutum insigni *dedita cura Cyclo*;
Doctrinæ omnigenæ, *gravis experientia rerum*,
Iudicii arduitas, *ingeniique vigor*;
Dexteritas causis & *quam Patronus agendis*
Imperii summo præstitit *Ille Foro*;
Singula divisim, *conjunctim cuncta perennis*
Erga Illum nostri *Calcar amoris* *erat*.
Affectu coluit simili me Candidus Idem:
Fervor amicitia *par in utroq; fuit*.

Aemula

Aemula virtutis patriæ vestigia, *Wolff*,
Qui premis, atque animi dote placere paras:
Hæc quoq; Candoris, fidei & commercia sanctæ
Nos inter placuit jungere amore pari.
Traduce quin nostros in posteritate *Nepotes*
Ut beet illa fides intemerata, precor.
En animi indubiam, *Wolff*, tibi porrigo dextram:
Porrige tu, rata sic stabit utrinq; fides!
Quamq; vetat tenuis modò rem præstare facultas,
Suppleat hæc voti tessera certa mei.
Nempe novum sibi dum *Dux Württembergidos Aula*
Inclytus in *Consul* te legit atq; vocat;
Hanc obeas, ornes adjutus NVMINE spartam,
Grata DEO præstans munia, grata Duci.
Et tua Christiadam, vario discrimine pressos,
Dexteritas releuet Consilio lares.
Utq; *Ratisponæ* Respublica florida, quam tu
Iuridici fueris Lanx velut æqua fori;
Et quam *Legati*, peregrinis sæpius oris,
Sis dextre functus, prædicat, officio:
Sic nova inexstinctas cumulet tibi functio laudes,
Functio virtuti debita tota tuæ!

Georgius Heber IC. Sac. Caf. Majestat. nec non
Reipub. patr. Norib. à Consiliis. Comes
Palat. Cesar.

III.

Nobilissimo, Clarissimo & Consultissimo Viro,
Dn. IO ANNI - VLDRICO WVOLFIO à Todt-
tenwarth I. V. Doctore celeberrimo, Reipub. Ratisponen-
sis hæctenus Consiliario & Advocato meritissimo: Nunc
ab Illustrissimo Duce Württembergensi ad Consilia
Studgardiam evocato & c. Domino & Ami-
co Veteri plurimum honorando.

EPIGRAMMA HOC:

E Clarâ Illustrem traheris Republicâ ad *Aulam*:
*W*irtembergiaci, Vir celebrande, *Ducis*.
Gratulor; hoc *virtus* tua *nobilitasq;* meretur,
Scilicet: in celso ut constituare loco,
Principis unde queas, patriæ populiq; Saluti
Consulere, *exemplo Patris Avi & Proavi,*
Atq; Agnatorum, quorum inclyta fama per orbem
Temporibus nullis interitura viget.
Sis felix, magni semperq; tibi *Angelus* adsit
Consilii, ut facias grata DEO, atq; DVCI!

Honor. & Veri cultus ergò posuit

Ioannes Rügerus I.C. Aulae Isnaco-Saxon.
Consil. L.M.Q. f. 9. Febr. 1626.

I V.

E I D E M

Excellentiss. & Nobilissimo

DOMINO D. WOLFIO AMICO, AD-
fini & Fratri meo honoratissimo.

D Vm te nunc poscunt graviora ad munia FATA,
Nec non ingenii dona verenda tui.
Atque *Ratisbonam* linquens discedis in *aulam*
*W*irtembergiacam, iussa capisq; DV CIS,
En lætor tecum, resonans gratantia verba,
Quis Tu, *Summe Deus*, pondus inesse jube!
I pedibus faustis, *Istrumq;* relinque ferocem!
Excipiat placidus Teq; Tuosq; *Niscrus!*

Vllum

Vllum te nunquam turbet discrimen euntem,
Sitq; tuæ CHRISTVS portus & aura viæ!
Nec tibi *progenies* dilecta, tenellaq; *Conjux*
Neve gravem faciat difficilemque viam!
Et, tu, pande tuas nunc, *Vrbs Studgardia*, palmas,
Huncque virum dignis excipe læta modis,
Cogitat ingenium mentemq; probare fidelem
Ille suo IHOVAE, cogitat atque DVCI,
Ergò DEO atque DVCI charus vivat vigeatque
Præsidiumq; thori, præsidiumq; tori!
Quod superest, memori fac pectore, *Amice Colende*,
Afficiat mentem mens tua sæpe meam!

Gratulabundus mittebam Mei-
nunga

Iohan - Michaël Strauß I.C. Consil. Saxo-
Hennenbergicus.

V.

Nobili & Excellentissimo Viro

Dn. IOANNI VLTRICO VVOLFIO à Zodens-
warch) &c. Consiliario Ducali Studgardiano:
Domino suo plurimum ob-
servando.

DVM, VVOLFFI, per te turrata *Ratisbona* pulchro
Consilio, & mirâ dexteritate vigeat:
Te volucris circumvexit *Fama* undique, claro
Intulit & *Tecci* finibus eloquio.
Tecciacus Princeps, clara inter membra *Senatus*
Te clarum allegere, & gestit habere sui,
Nuntius *Imbriolin* turbat, velut imbrifer *Auster*,
Protinus, inq; oculis nimbus & imber erant.

Dux

Dux petit excelsus : *Vrbs* clara invita recusat :
Et te invita tamen, quem is petit, ire finit.
Imperii geminæ pro Te, *Dux*, *Vrbsq;*, columnæ
O laudem ! certant : *hec* tenet ; *ille* trahit.
Vrbs invita licet, tandem tamen annuit, ires,
Tanto non audax Te retinere *Duci*.
Ergo *Ducem* adcedis, rectè dimissus ab *Vrbe* ;
Charus eras *Vrbi* ; Charior esto *Duci* !

Ita gratulabundus fovet

Jacobus Reihing Patrit. August. S. S. Theologiae D. ejusdem in Acad. Tubing.
Professor. ordinar.

VI.

AD DOMINUM IOH. VLRICVM VVOL-
fium IC. Consiliarium VVürttembergensem &c.
Dn. & Ad finem suum plurimum
honorandum.

CVM Vos fors jubeat *Bojorum* linquere rura,
Et *Studgardiaci* visere tecta *Ducis*,
Extremum vobis, VVOLFFI, clarissime Doctor,
Hoc Symphoniaco carmine dico Vale.

VII.

NON omni pietas, & Virtus, exulat *aula* :
Hoc utrumq; fovet, *Suevica* terra, decus.
Præmia nec defunt meritis ; hoc comprobat *aula*
Splendida *Teccensis*, Principis eximii.
Gaudet honorato compos, te consule voti :
Et gaudet gratas, Curia vestra, vices.
Sacra favent ; & Musa suis jam sperat alumnis
Tecta patrociniò, commodiora tuo.

Te

Te *Castella* suum, te *rus*, gratantur & *urbes*,
Ipse tuum *Princeps* nobile munus amat.
Idem Iustitiæ per te, cultumq; Sacrorum
Ac aulæ mores imprimit usque suos.
Totaque partitur tecum sua munia *Princeps*,
Tu *Patriæ* fidum pectus es, ille caput.

VIII.

AD CONSILIARIOS ET CIVES
Stuttgardianos.

Spargite fronde vias, & clausas pandite portas,
Necarides Musa, sternite fronde vias.
Advehitur vobis, generis splendore coruscus,
VVolfius, immensa vir pietate gravis.
Testis ut est locuples *Bojorum Curia ad Istrum*,
Cui satis integritas cognita, nota fides,
Splendida nam Virtus non una sede moratur,
Sed radios toto spargit in orbo suos.
Huic igitur pietas, vestro quoq; nota sub axe,
Amplaque consilii lora regenda dedit:
Plaudite nunc læti, nova gaudia fundite *Cives*,
Quotquot *Stuttgarda Curia & Aula* fovet,
Gestiat omnis ager, gratantibus undiq; amicis,
Personet adventus, gratus ubique sonus,
Plaudite & explicitâ venientem ducite dextrâ
Ad Nicrum, quotquot, *Curia & Aula* fovet.
Dicite perpetuo; Salve longumq; valetò,
Ad Istrum quotquot *Curia magna* tenet,
Dicas perpetuò; Salve longumq; valetò,
Quisquis amicitiaæ fœdere junctus eris.
Ergo bono auspicio, *Vir præstantissime*, perge,
Perpetuò salve, perpetuoque vale.

Et

Et rege commissos æquali lance clientes ;
Utque soles placidâ mente tuere tuos !

*Amicitia & adfinitatis ergò scribebat
Noribergæ*

*Fridericus - Conradus Tuschelin. IC.
à Consil. tam Palat. quàm
Noricis.*

IX.

E I D E M

*NOBILISSIMO IC. IO ANNI VLRICO
VVolfio : Fautori, Adfini & Amico apprime
colendo.*

Sic est, occultâ non se caligine noctis
Doctrina, & virtus finit ingeniosa recondi:
Sed velut in medio proles Hyperionis axe,
Quando tenet cursum nitidis invecâ quadrigis,
Spargit in objecti latissima climata mundi,
Aureolis purè radiantia lumina flammis.
Haud secus, ô VVolfi, Themidos fax splendida, furvis
Indolis illa tuæ præsignia dona tenebris
Celari nequeunt, Phœbéæ lampadis instar
Sed lustrare plagas has, illas latius orbis,
Lucis inoccidua gaudent fulgore corusco.
Te *Reginopolin*, quam clara binominis *Istri*
Flumina fœcundant, testem non esse pudebit
Hujus nempè rei, donis fœliciter usam,
Pectoris ingenuo quæ VVolfius edidit ausu.
En quoq; doctrinæ rutilum virtutis & augmen,
Et pietatis opes, ad *VVürttembergidis* agrum
Accitus, VVolfi, jam Consiliarius, altè

Exseris,

Exferis, atque Aulae partes diffundis in omnes,
Publica Res sine quò vigeat discrimine tristi.
Gratulor ergò illis animi de dotibus almis
Officioq; novo tibi, rerum fida mearum
Portio, VVolfiadum præclari sanguinis hæres;
Invigilent cultui IHOVAE, Patriaq; saluti,
Téque tuosque beent æternâ laude *Nepotes!*
Sic precor, eventum pia NVMINA ritè secudent!

Adposui Norimbergæ Ioannes - Henricus Hüls,

IC. & Incluta Reipub. à Consiliis.

X.

ERgò Novenarum decus immortale sororum
A nobis Doctor *VVolfisus* ire parat?
Ire parat properans, atque *Vrbis* relinquere tecta,
A rate quæ priscum nomen adepta tenet.
Utque adeat contra *Princeps* quæ *Teccius* ipsum
Ritè vocans nuper iussit adire loca.
Nempe loca, extollens ubi se *Stuttgardia* jactat;
Prælustri sedes hîc ubi clara *Ducis*.
Vitiferi montes prærupto ubi vertice surgunt,
E quibus ubertim mustea dona fluunt.
Atque abit, ut fidis tibi *Clementissime Princeps*
Officiis adsit, consiliisque suis.
Ergò abeat fœlix divino Numine tectus;
Protectore DEO nam benè tutus erit.
Vive, valeque diu, nostrî non immemor unquam,
O *VVolffi* cordis portio magna mei!
Et procul hinc abiens, tenues hos accipe versus;
Atque illos nostrî pignus amoris habe!

D

Observ.

Obfero. Et honoris ergo, Patrono Et
Fautori suo adposuit tristi
vena

M. Sebastianus Hemminger. Württembergi-
acus: Ecclesiar. apud Ratisbonenses Pastor
Et Superintendens orthodoxus.

XI.

AD NOBILEM ET AMPLISSIMUM VIRVM: DN.
Ioannem Vlricum VVolf, ab, Et in Todtenwarth: Iuris-
consultum præcellentissimum: olim inclytæ Imperialis,
liberaq; Reipub. Ratisbonensis Consiliarium Et Advo-
catum: Consistorij Ecclesiastici ibidem Adsessorem, Et
Scholarcham integerrimum: nunc vero Consiliarium
VVürttembergicum designatum: Affinem Et Fau-
torem suum plurimum hono-
randum.

Iuris & æquarum Doctor Clarissime legum
Wolfiade, & Clarij fama decusq; Chori:
Dum tribuit summos tibi Consilientis honores,
Tecciaci Princeps Ian-Fridericus agri:
Divite confirmat virtutum munera puncto,
In te quæ fudit gratia larga Dei.
Gratulor: atq; precor, sentiscat Patria nostra:
Non malè te Patrie consuluisse Patri!

Iohannes Harpprechtus I C. Et Antecessor in
Acad. Tubing. Ordinarius.

XII.

I An-Vlrich VVolfi, tibi notum, quantus Amicus
Mifuerit Genitor, clarus in Orbe, tuus

Post

Post ad Nos ubi venisti, mox jura priora
Ambo instauramus dulcis Amicitiae
Nunc *W*irtembergam prius ac discedis in *Aulam*,
Et mihi dixisti; *Prætor amice vale.*
Dulce fuit, & triste *Vale.* Sed fata trahunt Nos;
Sortem hic; sortem illic dat Deus, atq; diem,
Felix, qui Spartam, quam quis vel in Vrbe, vel Aula
Nactus, defendit, cum Pietate, Fide!
Sed quamvis loca dissideant; Tamen annuo, certo
Tu mihi, egoq; tibi verus Amicus ero.

Hisce felicissimum abitum, & prosperri-
ma quæq; precatur Fautori & Fra-
tri suo unscè charissimo, desidera-
tissimo

Georgius Möringer. V.I.D. & Reipub. Patriæ
Ratisbonensis præ tempore Prætor.

XIII.

NOBILISS. ET CONSVLTISSIMO VIRO DN.
*Ioanni Ulrico W*olffio Icto: & Duc. *W*irt. Consiliar.
primario, Patrono meo è melioribus
optimo &c.

Discrucior, lætorq; simul *Clarissime W*olffi,
Te penitus nostrâ quando discedere ab urbe
Conspicio, atq; Ducis (sub quo pietasq; fidesq;
Iusq; vigent, Recti & studium sua præmia sentit.)
Tecciadum, multis prædivitem honoribus *Aulam*
Intrare, officii ad sublimia ritè vocatum!
Primus eras, qui me fido complexus amore
Collegam fueras Collega! nec illa favoris
Hactenus erga me blandum spirare benigni

D 2 Desit

Desiit aura ! Ex hinc quàm non sentire perennem
Præsentemq; mihi grave erit , mihi terq; molestū !
Sed quoniam cerno, *Tibi* grandius esse Theatrum
Partum, quo virtus tua se doctrinaq; præstans
Præbeat innumeris, mage conspicuū atq; celebrē,
Gratulor ipse novos *Tibi* toto pectore honores,
Et voveo ille Deus vitales qui ordinat orsus
Occasusq; *Tibi* multos indulgeat annos,
Et vegetum feram te ducat ad usq; senectam !
Cætera sic sumes per te, virtusq; perennem
Et famam, summos tribuet doctrinaq; honores !
Inunc, & semper felicibus utere fatis,
Atq; etiam *nostri* memorem tecum aufer amorem,
Quem tibi per cunctos sanctè servabimus annos.

*Collega quondam suo in obser. tesseram
gratulabundus & mæribundus P.*

*Georgius Gumpelzhaimer I. V. D. laudatiss.
Reipub. Ratisbonens. Consiliarius &
Advocatus.*

XIV.

IN ABITVM

*NOBILISSIMI VIRI, DN. IOHANNIS
Vldrici VVolfii I. V. D. nuper facti Consiliarij Stut-
gardiani : Patroni & Fautoris
colendissimi.*

**Dominus Iohannes Vldricus VVolfius Iur. Doctor
Consiliarius Stuggartdianus.**

ANAGRAMMA:

**Raro consilio vir, doctus, dignus honore,
Vt sidus magni Ducis it fulsurus in aula.**

Ex

EX *Reginopoli* reflectis, antè
Ad *Reginopolin* reflexe *VVolfi*!
Hospes gratus eras *reversus urbi*:
Hospes, si annueres, *tenendus urbi*:
Hospes pro meritis *amatus urbi*:
Cur ergo hospitium laris remutas?
Cur ex urbe focum favente motas?
VVolfi cur remeas, recipocasque?
Sed sic vult Dominus Creator orbis
Miro res hominum regensq; nutu,
Miro ipsos homines ciensq; motu,
Miro cuncta suo rotansque tractu.
Hic te pro placito, velut recussam
Blandâ sorte pilam, retorquet almo:
Excitum *Imbrioli* remittit agro
VVürttembergiaco: Viros & inter
Aula consiliis locat celebres,
Iuris consiliis virum celebrem:
Consultum in dubiis Duci celebri.
Ut sis porrò gradu eminentiore:
Stes in parte laboriosiore.
Et rerum Ducis expeditione
Majori clueas celebritate.
Quis te, cum Triadis potentis alto
Hinc in *Tecciacum* citere fato,
Vel fatum, bonus oderit sequentem?
Vel longas faciat moras eunti?
Frustra Anchisiaden moratur urbe
Cessurum Tyriâ; monetque frustra,
Ceu surdum, veteri de amore Dido.
Quin iussus properans novos Deorum
In vasti maris alta se capeffit:
Et remis tumidas retentat undas:

Et velis Latias requirit oras :
Et post se Lybicas relinquit arces.
Sic Tu Bavarico valere iusso,
Vir præclare solo, Sævicamque
Adspiras monitu latente terram :
Sublimemq; subis vocatus aulam :
Augustamq; fugis retractus urbem.
I dum Cœlipotens trahit Iehova !
I dum magnificus suum Dynasta
Te vult ! teque sinunt, quibus merebas,
Conscripti merito Patres favore :
(Quanquam non careant Patres dolore)
I Wolfi ; precor ; O Amice Wolfi :
Ut firmo superûm tegare scuto :
Ut sancto Sophiæ regare Flatu :
Ut semper placidâ fruare sorte,
Ut tandem æthereo beere fœclo !

Obser. & honor. ergo

L. Mâ₃ posuit

M. Iohann. Munderlinus, Dei Minister in
Ecclesia Ratisbon. reformata.

XV.

M Irè nos ducit semper divina voluntas,
Volfiades, patriæ gloria magna tuæ :
Me modò Tubinga Coburgum, ac inde vocavit
Egram, Egram curam cunctipotentis Heri:
Te modò Tubinga Imbriolim, Imbrioliq; vicissim
Stutgardam, sedem Tecciaciq; domum:

In-

Inceptum summus regat, & Te fervet Iova,
Wirtembergiaco tempora longa solo!

*Extemporaneum hoc, & unum pedem in
curru habens, suo Factori scribebat,
imò fundebat.*

*Georg. Mundius V. I. D. Coronat. Poet. Ges.
incluta Reipub. Egrana Consil.
& Syndicus.*

XVI.

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, CLA-
*riſſimoq; Viro Dn. Ioanni Vdalrico VVolfio à Todtenwarth
Iuriconsulto celeberrimo, Consiliario Wirtember-
gico dignissimo, amico suo inter raros
charissimo & desideratissimo.*

**IOANNES VDALRICVS WOLFIVS IVRIS
CONSULTVS**

Αναρραμματιο Δεῖς.

*Nutu Consilio vadas, felicius usu,
Rursus noli!*

C Vm tua te virtus aliò vocat, esse videtur
Omne solum cœlumq; tibi natalia tempe.

Nutu, Consilio vadas, felicius usu,

Et noli rursus vestigia prisca vereri,

Nam ludit variè fors, non deludit amicos,

Omnibus haut omnis mutatio plena pericli,

Tollit amicitiam vix & distantia terræ,

Vt Wolfi maneam Pylades, dicaris Orestes

Discessus felix, accessus sit mage felix,

Successus cunctis post felicissimus actis.

*Memoria & Amicitia nunquam inter moritura
ergò apposuit*

Ioannes Brentag Philos. & Medic. D. Ratisbona.

D 4

lto

XVII.

Ito bonis avibus, felici fidere cœptum
 Perfice iter properè, Vir celebrande mihi,
 Aulæ Teccensis Ducis & te sistito salvum,
 Nec prodesse illi desine consiliis,
 Numinis æterni siquidem rata sancta voluntas
 Illo te gaudet vivere & esse loco.
 Ergò pro Iuris modulo benè consule cunctis:
 Pressis & miseris consuluisse juvat.
 Sic tua laus crescet, crescet tibi copia rerum
 Larga, & Res - crescet - publica, lausq; Dei.

*Mæcen. & Fautori, felicissimum cum Fi-
 lio Amanuense abitum & aditum
 precatur ex intimis*

*M. Balthasar Pistorius Ecclesie apud Gerungens-
 Austria inferioris app. Pastor faciebam cras-
 sa & invita Minerva 2. Febr. Anno æræ
 Christianæ 1626.*

XVIII.

In accessum Studgardianum

NQBILISS. AMPLISS. ET CONSVLTISS.
 Viri Dn. Ioannis Vlrici VVolff. à Todtenwarth I.C. celeb.
 Sacr. Palat. Later. Auleq; Cesar. Comitiss,
 Consiliar. VVürtemb.

Ioannes - Vlricus VVolffius à Todtenvvart
 V.I.D. ac Com. Pal.

ἀναγπαμμαλιζόμεν

Vir facundus ore; placato vultu; fidei
 Columna; Ius sonat.

Dum

D Vm tua sollerti trutinaverat arte Lycophron
Nomina; vocali talia voce refert.

Facundus Vir hic *Ore* valet: & *vultu*que decorus

Placato; *Fidei* firma columna sacrae.

Ius sonat, edoctus *Themidos* mysteria, cunctis

Doctrina, eloquio, *judicio*que placet.

Maeste tuis ausis, ô Vir *Amplissime*, donis

Victuram indeptes post *nigra* fata cedrum.

Obser&. ergo.

L. M. Q. P.

M. Laurentius Frisius, Vraco - Dattingen-
sium Pastor. P. L.

XIX.

Eidem Nobiliss. & Ampliss. Viro.

Iohannes Ulricus VVolf à Tottennvartt V.I.D.

Consiliarius VVirttembergiacus.

ἀνὰ γράμμα.

Huic *Fortuna* nitet *licito*: *Res* legibus ornat

Fert & *avos* vultu *Vir Ducis* unanimus!

Mæcenati suo *magno* debita:

obser&. ergo F.

Anno:

à *SpeCVLa* *MortIs* gens esto *VVoLFIca*: *Largas*:

IngenII CeLebrIs *Carpat* *Vt Orbls* opes.

&

VaLeant seMper VVoLFI à *TottenVVarDt.*

Ioannes Melchior VVeber

von Wormbs.

D

s

Viro.

Viro Nobilissimo & Consultissimo,

*D.N. IOHANNI VLRICO VVOLFIO Icto
& Philologo Excellentissimo: Consiliario VVür-
tembergico, &c. Domino Fautori &
Adfini pl. honorando.*

WOLFI, Camenarum decus inclutum,
Iubar Themistos, gloria Apollinis,
Cor & Corona Gratiarum,
DIq; DEAEq; cui vel omnes
Favere primis à puerilibus
Annis, in hanc lucem usq; : peritiam
Dum plurimarum rerum adeptus
Non sine laude tuâ, invidendam.
Gravis Dices, diæq; Poescos;
Audis Sacerdos : Sat calamus tuum
Claravit orbi nomen : Hinc Te
Concomitantur ubiq; honores:
Dux Wirtebergensis (status ille Dis,
Cui pura cordi Relligio, cui
Curæ Novena turba; verus
Qui Patriæ Pater audit, estque,
Reapse talis : Servet in alterum
Quem Iova seclum; sistere enim potis
Mundi labascentis ruinas
Viribus ingenii atq; dextræ.)
Dum Te vocavit; Consiliis tuis
Vti & fruisce rebus in arduis
Queat; tuâ virtute rarâ,
Dexteritate, fideq; motus,
Hanc functionem magnificam Tibi
Ex pectore imo gratulor; adpreans,

Vt

Vt administres hanc, Ichova
Auxiliante & opem ferente,
Plures in annos corpore, menteq;
Sanus: Bonorum præsidium cluas,
Vindex malorum, at ara pressis,
Anchora sis viduisq; salva-
Sorte attributâ (plurima pauculis
Vovebo) sic utaris, ut omnium
Votis satisfecisse, vota
Vel superasse etiam feraris!

*l. m. q. scribebat ips. KL. Mals
M. DC. XXVI.*

NORIMBERGAE.

*Chr. Haslchius Norimb. Com. Palat. Reipub.
Patria à Secretis & P. L.*

XXI.

*Magnifico, Nobilissimo & Consultissimo
Viro*

*DN. IOHANNI-VLRICO VVOLFIO I.V. D.
Reipub. Ratisbon. quond. Consiliario & Advocato, ibi-
demq; Consistorij honorab. Assessori dignissimo, Scholar-
che gratissimo, nuper ab Illustrissimo Principe Wirtem-
bergico ad Amplissimam Consiliarij dignitatem in Au-
la Stutgardiana legitimè vocato, Domino Patrono
suo aeternum colendo transmittit honor.*

& memor. causa.

Wolffiada genus acre virum, veneranda Themistos
Lumina, Majorum tot jam labentibus annis
Progenies clarata satu, non indiga laudis
Externæ, hæredes digni virtutis avitæ

D 6

Prima

Principibus placuere viris, placuere Dynastis:
Ceu placuere Patres, sic porrò placere Nepotum
Principibus cura est hæc una, hæc sola voluptas.
Primus in hoc numero *Antonius* (monumēta remota
Alterius sæcli, nec sensibus obvia nostris
Dissimulabo, manent æternæ credita famæ)
Wolffiadum palmare decus, quem nobilis olim
Argyrope coluit, facundæ divite linguæ
Tullius eloquio, nostratis Scævola mundi
Principis *Hassiæ* (si ritè audita recordor)
Illustrem arbitrio *Ludovici* accitus in aulam
Consiliis rectis Herois pectora format,
Laude perennanti commissa negocia curans :
Auditum nuper, nec enim Trieteris abivit,
Imbriolin quando Numen terrestre, Monarcha
Fernandus Proceres Romani convocat Orbis
Imperii fessis jussos succurrere rebus
Fulguribus grandi miscere tonitrua voce
Cæsaris obstupuit mirata novum aula Periclem.
Et quo Te memorem non inferiora sequentem
Iane Iacobe loco, quem Cæsaris alma potestas
Magnifici Comitibus titulis & Iure *Palati*
Cæsarei gaudere jubet, qui Principis aulam,
Hassiæ illustrem *Ludovici* haud futilis author
Consiliis dandis ornas, & munere mentis,
Multiplici *Imbriolis* solers bona publica curas !
Iane - Vlrice tuæ Gentis decus, aurea lampas
Wolffiadum, per te magis ardua gloria surgit
Majorum titulis vera virtute paratis.
Vera loquar dubitas? at sic *Neoburgicus* Heros
Bojariæ Princeps. *Dux* Inclytus, ortus Avorum
Progenie Regum, qui torquet honora vetustæ
Sceptra Palatinæ Regionis vindice dextrâ,

Sentit,

Sentit, & hinc famam cupiens extendere vestræ
Gentis, opus magnum molitus credidit auri
Non postrema tuæ, sed munera prima Senâcli.
Sentit idem prælustre Ducum decus, inclytus *Heros*
Tecciacus, Princeps observantissimus æqui,
Iustitiæque tenax Cultor, *Fridericus*, habenas
VVirtembergiaci qui justè temperat agri.
Ille *Patris* meritis, *Soceriq;* *utriusq;* fideli
Servitio, & motus virtutum laude tuarum
Amplius haud passus *Bavaris* Te vivere *terris*
Consilioque juvare *Urbem*, quâ mœnia surgunt
Turrita, & rauco rapidus præterfluit *ISTER*
Murmure, clavigeræ quæ munere gaudet avito.
Patres *conscriptos* votis non segnibus orat
Magnanimus Princeps, ut liber fasce prioris
Officii, multâ quod sedulitate gerebas
Neccaricas salvus posses conscendere ad oras.
Vicit honor, tantoque Duci reverentia vicit
Debita, nec longum remorati vota Petentis,
Assensere *Patres*: Tuus *Illustrissime Princeps*
Esto, *ajunt*, qui noster erat, sit denique vestri
Consilii pars prima sacri, trieteride ternâ
Cujus opem dubiis in rebus, publica nostra
Privaque res sensit, miseri sensere clientes.
VVirtembergiacam Ille domum suffulciat Idem
Consiliis, charusque Duci, gratusque clienti
Publica procuret privataque munera pacis.
Quin ergò à Nobis abituro vota precesque
Libamus, lætique novo gratamur honori?
Iane - Vlrice tuo, legum clarissime Doctor,
Tecciacique Ducis nove *Consiliarie*. Quare
Principe *Tecciaco* salve dignissime Achate
Gaude & Tu *Princeps* tam fido maectus Achate.

Quam

Quam pia cura Ducis Tibi spartam destinat, orna
Wolffi, & gratâ fume manu. Dî cepra secudent!
I sospes, dulci cum Conjuge longa viarum
Mensura spatia, & tandem subvecta quadrigis
Albis, Optatae se sistant effeda terræ!

*M. Christoph. Schvanshofer Gymnas. Poet.
P. Rector. &c.*

XXII.

Ad Nobiliss. Ampliss. & Consultissimum

*DN. IOHANNEM VLRICVM WOLFIVM, V. I. D.
Solertiss. Resp. Ratispon. Inclytæ quondam Advocatum
Consistorij Assessorem & Scholarcham dignissimum &c.
Iam ad Aulam Stuggardianam Illustriss.
abeuntem.*

Discedis ergo? nec genius loci
Hujusce amœni, nec studium Patrum
Proclive te, ô prælustre gentis
Wolfiadum columen decusq;
Nec vota nostri Gymnasii pia,
Nec dulcium desiderium tot hîc
Amiculorum detinebunt?
Nil moveare priore forte?
Verum ibis: ibisq; omine prospero:
Fati rotantis sollicitatio
Ne vindicet post obstinatum
Ista tuum ingenium maligne.
Hand quarta natum luna videre Te
Quivit, nec astri pars violentior
Aspexit horam ortus, celebri
Qui Procerum placuisse genti

Cruda

*Cruda juventa sic potes: undiq; ut
Petâre honestis conditionibus:*

*Non nemo quas utraq; captet
Accipiatque manu superbus.*

*Sanè acquirentem mediocribus,
Nec plus petentem laus sequitur sua,
Securitasq; certior. Sed*

*Quod manus obtulerit Iehova
Benigna, Grata qui sapit, id manio
Et mente sumit, spirituum nihil
Dementer, aut infanterioris
Inde supercilij capessens.*

*Auctore Christo nil dubitaveris:
Qui, sive celso, sive humili loco
Servire te vult, audiendus:*

*Sit quoties tibi - cunq; sedes
Mutanda. Wirtembergiacum Ducam
Fatis secundis crevit adorea*

*Immanè quantum: atq; inter omnes
Inclytus ille tuus, Patrone,
Jan-Fridericus splendet, ut emicans
Inter minores Cynthia reliquos
Atræ magistra noctis ignes,
Prosperiore Dei favore.*

*Quo te vocante ad tecta sua inclyta,
Iehova quin te, nil dubito, vocet:
Vocationem subsequenti.*

*Dexteritate probabis ipse.
Ito ergò foelix: nec pluviamoras,
Nec Sydus ullum, nullaq; nubila
Nectant, nec ulla vis latronum,
Nulla viam mala fata foedent,
Sic nobilis Stuggardta compotem*

Voti

Voti benigno te excipiat sinu,
Plaudensque paulo post beatum
Filiolo egregio salutet!
Sis charus omni tempore Principi:
Nec livor, aulae perpetuum malum,
Corrumpat unquam prospera: Ate
Nulla tuos violet penates!

*Sed venit,
Deo grates
Filia lepi-
dis. 8. Martij
anni 1626.*

Serò valentem suscipiat Polus:
Postquam hisce terris suppetiit tibi
Auri & argenti benigno &
Copia honorum opulenta cornu!

*Sic in Vito quidem Apolline, sed non animo pre-
catur paucis, attamen immenso sensu*

Ejus Nob. Ampl. observantiss.

*M. Michael Dornberger, Corrector Scholae
Poëticae Ratisbon.*

XXIII.

VIALE SACRVM

Nobiliss. & Excellentissimo Viro,

*DN. IOHANNI VLRICO VVOLFIO à Zodo-
senwarth &c. V. I. Doctore eminentissimo, cum Ratispo-
na in Aulam Illustrissimi Principis VVürtember-
gici Consiliarius abiret, Anno Domini.*

M. DC. XXVI. 13. Martij.

WOLFI, Nobilium decus immortale virorum,
VVürtembergiaca spes columenq; Domus:
Splendida Iuridicæ, *Mecenas*, stella Coronæ,
Quam gerit excelsa fronte Patrona Themis.

Inunc,

Inunc, Principibus rebusq; vocantibus adsis,
I, tibi Rhedarum transitus esto levis!
VVolfi, magna tuæ Gentis spes, magna Potentum,
Fer trepidis alacri pectore rebus opem!
Diriget ipse tuos, qui dirigit ætheris orbem
IOVA ausus, itiner diriget ipse tuum!
Tu modo fide Deo, tibi mille per oppida nomen
Crescet, & illustrem Te magis Aula dabit.

Quod vovet animitus

*Paulus Homberger, Ratisb. Cantor & Collega
Scholæ Poëticae.*

XIV.

I Pede felici, quò te pia fata reducunt,
Portum invenisti, fors mala dispercat!
Salve, vive, vale, docto te Consule, longum
VVirtembergiacùm floreat Aula Ducum.
Musarum, & secli decus indelebile nostri,
Iustitiæ fulcrum præsidiumque, VALE.

Patrono suo

*Thomas Cleuselius Ratisbonensis observantia,
ergò adjecit, &c.*

JOAN-

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Second block of faint, illegible text.

Third block of faint, illegible text.

Fourth block of faint, illegible text.

Fifth block of faint, illegible text.

JOHN



JOANNIS-ULRICI
Wolff à Todtenwarth / J.C.

COM. PALAT. CÆS. ET CON-
SILIAR. WÜRTEM-
bergici

FASCICULUS
ANAGRAMMATUM
&
EPIGRAMMATUM.



ARGENTINÆ

Typis PAULI LEDERTZ.

M. DC. XXVIII.

ANAGRAMMATUM ET EPI-
GRAMMATVM FARRAGO.

I.

Ad Sacratiss. Cesar. Majestatem

FERDINANDUM II.

CUM INGREDERETUR URBEM
Ratisbonam, celebratum Comitia Electo-
ralia Ann. 1623. nomine Senat.

Populique Ratisb.

FERDINANDVS SECVNDVS, DEI GRATIA,
ELECTVS ROMANORVM IMPERATOR SEM-
PER AVGVSTVS, GERMANIAE, VNGARIAE,
BOEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE, SCLA-
VONIAE, RAMIAE, SERVIAE, GALLICIAE,
LODTOMERIAE, COMANIAE, BVLGARIAE
REX: SACRI ROMANI IMPERI ARCHIPIN-
CERNA ET PRINCEPS ELECTOR: ARCHIDVX
AVSTRIAE: DVX BVRGVNDTIAE, BRABAN-
TIAE, STIRIAE, CARINTTHIAE, CARNIOLI,
VTRIVSQUE SILESIAE, LIMBV RGI, LVCEM-
BVRGI, WIRTEMBERGAE ET GELDTRIAE:
LANDTGRAFFIVS ALSATIAE, BRISGOAE,
SVNTTGOVAE, ET NELLENBV RGI: MAR-
CHIO MORAVIAE, VTRIVSQUE LVSATIAE,
HISTRIAE, BV RGOAE ET SACRI ROMANI IM-
PERI: PRINCEPS SVEVIAE: COMES-PRIN-
CEPS HABSPV RGI, FLANDTRIAE, TYROLIS,
GORI-

GORITIAE, CILIAE, ARTHESIAE: COMES PALATINVS PHIREDTI, KYBURGI, NAMVRCI, HANNONIAE, HOLLANDTIAE, SELANDTIAE ET ZVTPHANIAE: DYNASTA ET DOMINVS FRISIAE, MARCHAE VENETORVM, PORTVSNONIS, MOLINI, SALINARVM, VLTRAIECTI ET MECHLINIAE.

per ἀνάγκη.

Invidiosissime Caesar, Monarcha gloriosissime! Ingredere, o ingredere carum Kaput felicibus auspicijs Civitatem tuam Ratisbonensem! Praeserua illam ab omni turbine illasam: Subditos tuos pariter & Senatum fide instar cujusdam gallinae sub umbra alarum tuarum salvum! Sine Te nihili, nisi agra corpora. Cura igitur superne! A Te vita; recrea cito! occurre opera tua! irriga aura leniori! ad adyta tua beneficentia brachia expande, aggrega, oppressis aures arrige! Mansuetudinem rigida saevaq; justitia: pacem, qua natura praeditus praecleara clementia, bono Patria nostra publico praefere! Floreat illa, ini! Zelotypum Te ejus noscimus. Corrigenda corrige! curae rectifica! irrita sine! annihilata! Ita Majestatem tuam reddes lucidiorem: Ita Te gentes Incola, Excola ad aethera magni Olympi ingenti laude, insigni gloria extollent.

Exegetis.

ECquid agam? legesne meis indicere Musis
Pythagoræ, & timidæ mandare silentia linguæ
Phas sit? Amycléos rursus per dentia muros?
Dum Ratis - exultans vigili - Bona subdita plausu,
Intima lætisono sustollit pectora motu,
Lætitiâq; fremens venienti obcurrere Regi

Promē

Prompta, serenatos ostentat servula vultus?
Dum Cives læti feriantur, & obvia quæque
In cantus abeunt, ac tripudiantia latè
Iubila? dum cessant luctus, dum prælia cedunt,
Et pax auratis jam vult remeare quadrigis.
Non decet! Ergo alacres ad prætermissa venite
Munia, & Aoniâ redimitæ tempora lauru
Adfuctis iterum numeros intendite nervis,
Entheaq; arguto deducite carmina plectro!
Namq; dies optata venit, quæ venit olympo;
Fauſta dies, albis merito ſignanda lapillis,
Clara dies, ſperata dies, mortalibus ægris
Grata dies, veneranda dies, quâ ſidere fauſto
Ferdinandus ovans, Pacis reparator & Author
Altor & Adſertor, qui nunc regit unicus orbem
Numine Cæſareo Chriſtianum, quiq; paternum
A Subole ad ſubolem eſt recturus porro tribunal,
Imbriopolim ingreditur, cujus præluſtria facta
Decantent alii, & manſuro carmine famæ
Commendent, quibus eſt circum præcordia vena
Largior, & faciles ad carmina ſuggerit imbres.
Me ſterile ingenium prohibet ſermone pedestri
Deterere ingentes laudes, numerisq; minutis
Obscurare decus, nebulasq; adſpergere Soli.
Ingredeſe, ingredeſe ô Rex invictiſſime, felix
Ingredeſe ac urbis deſotæ tectare viſe!
Vrbis, quæ tanto Domino lætata ſuperbit,
Atq; omnem de Te ſpondet ſibi certa ſalutem.
Ingredeſe, ingredeſe ô Cæſar! Tibi cuncta pateſcunt.
Cernis, ut includit reſonantes carcere ventos
AEolus, & Tibi nunc oſtendit amica favorem
Deſuper aureolis radiis plaga lucida cœli?
Cernis, ut ingeminant plauſus, ut læta trophæa

Insti-

Instituunt Patriæ Patres, ut pectora læti
Et capita adpronent gaudentes pace sequestrâ.
Nuncia post belli, trepidæq; pericula sortis,
Gratantesq; Tibi regnum, securaq; regno
Otia, & æternam sine cæde & sanguine pacem?
Ingredere, Ingredere, & felicibus utere fatis,
Has inter turbas secli, quod turbine quassum,
Cuiq; bono (Eumenidū qui mos) mala quæq; minatur?
Esto bonus, placidusq; bonis, semperq; memento
Parcere subjectis, miseris succurrere, justos
Munire, adstrictos tegere, oppressosq; tueri.
Vre, seca! si quando furit genus improbum, ad omne
Et scelus & vitium natum: compece feroces,
Et contemptores legum, punito rebelles!
Successus dabit ille bonos, dabit illa salutem,
Imperii qui frena Tibi dedit, ætheris alti
Rex ille, & Regum Rector, spes nostra *lehovah,*
Qui super ætherei texta auro illustria cœli
In sella residet rutilis fulgente pyropis.
Macte Tua virtute, Tua pietate, Tuosq;
Macte animo atq; ausis, magnosq; in pectore tecum
Ipse agita! ut lapsis tandem succurrere rebus
Rite queas, motosq; freti componere fluctus,
Et placidis classem timidam producere & velis!
O redeat sperata diu pax aurea terris!
Pax comptos oleæ foliis redimita capillos,
Omnis Christiadum cætus quam fibritus optat.
O redeat regnis Concordia! tela tubæque
Et sclopi, ac hastæ valeant! Bellona valetio!
Et Mars vastator, vis exulet, exulet omnis
Impietas, pietas vigeat, phas regnet & æquum!
Majestas sic summa Dei Te, Diſce, serenet
Ferdinande, juſſet, sic Te beet alme potestas!

Dia

Dia Pronœa regat ! tegat & vigilantia dia !
Confirmet requies ! pax augeat ! adferat orbi
Candida libertas, totumque Tibi adferat orbem !
Iustitia in portis sedeat ! Dea Fortis & illa
Nullibi ut includi, includi sic nescia metro.
Sic erit in portis benedictio, in urbe voluptas :
Turribus & dives cunctarum copia rerum.
Gloria sic homines supra, Te splendida tollens
Divorum tabulæ adscribet, laurusq; perennans
Cinget honore comas, ac circum tempora frondens
Testis erit meritique tui, laudumq; tuarum :
Famaq; quadrifidas mundi omnipotentis in oras,
Fataque Fortunasque Tuas, gestique laboris
Momina, vivaces in tempora longa triumphos
Dicet, & hæc seræ dabit enumeranda senectæ,
Scilicet ut norint post secula nostra minores
Te Proavis Patriq; parem, Magnoq; Mathiæ
Inq; toga, inq; sago, vita factisque probasse
Sanguinis Austriaci genus & decus: atq; proinde
Augustâ virtute Tuâ, meritisq; per orbem
Obtinuisse sacris uti connumeratus Avorum
Cætibus, exemplar sis porro sequentibus, utq;
Semper honos nomenq; Tuum, laudesq; diurnent!

*Ita devotissimus Cliens adprecabatur
anno, quo*

Ferdinandus seCVnDus Veniens
Ratisbonam.

II.

IOANNES - SCHVVICHARDTVS, DEI GRATIA
ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINENSIS, SACR
ROMANI IMPERI PRINCEPS-ELECTOR
PER

PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIUS.

per ἀνάγκη.

In Consilijs apprimè prudens, negotijs peragendis magnanimus es. Succurre iccirco perchara anchora! Pacem ini, restitue, restaura illam!

III.

GEORGIVS-FRIDERICVS, DEI GRATIA, ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINAENSIS, SACROSANCTI ROMANI IMPERII PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIUS ET ELECTOR: EPISCOPVS WORMAATIENSIS.

per ἀνάγκη. mutat. lit. l. in O.

Clementissime Princeps! Vige alter Aharon! Sis pressis firma anchora. Tu potes. Iccirco iuva magis cito innocuos! Suggere pacem Patria, ruinam corrige, dilue! Irradia nos!

IV.

IOANNES - GEORGIVS, DVX SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, AC MONTIVM, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARESSCHALVS ET ELECTOR, LANDTGRAVIYSTHVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, BVRGGRAVIVS MAGDEBVRGENSIS, COMES IN MARCHA ET RAVENSPVRG, DYNASTA IN RAVENSTEIN.

per ἀνάγκη.

Hannibal, scio, audis magnanimus, in rebus gestis alter Alexander Magnus: Hector maximus, rarum justitiae asyllum, religionis patronus summus. Oh! Hinc verè à Dijs numen, predicaris. Age ergo, Eja age gnater! Irriga nos! in hac acie cito succurre!

E

GEOR.

V.

GEORGIUS-GVILIELMVS, DEI GRAFIA
 MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, SACRI RO-
 MANI IMPERII ARCHICAMERARIVS ET ELE-
 CTOR, DVX BORVSSIAE, IVLIAE, CLIVIAE
 MONTIVMQUE: STETTINENSIVM, POMERA-
 NORVM, CASSVBIORVM, VANDALORVM, ET
 IN SILLESIA CROSNENSIVM ET IEGERN-
 DORFFENSIVM: BVRGGRAVIVS NORIMBER-
 GENSIS: PRINCEPS RVGIAE: COMES IN MAR-
 CHIA ET RAVENSPVRG, DYNASTA IN RA-
 VENSTEIN.

per ἀνάγραμμα.

*Inter astra in medio firmamento Velut Orion relu-
 ces, benignus, graciosus, magnanimus. Inter turbines
 modernos vere Naclerus prudens. Perge sis iccirco ac-
 currere mente fidiſſima! Salubria, amabo, ini, immo
 usui ſuggere ſingulari, qua praes orbi huic regundo, in-
 dustria! Ne ſic premio remunerabit Summus Olympi
 Auriga. Ne ſic in ſimili Te grex laurea cinget.*

VI.

IOANNES-CASIMIRVS, DVX SAXONIAE, IV-
 LIAE, CLIVIAE, MONTIVMQUE, LANDT-
 GRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE
 COMES IN MARCHA ET RAVENSSPVRG
 DYNASTA IN RAVENSTEIN.

per ἀνάγραμμα.

*Ne Virtute, prudentia clarus maxima equitatis cy-
 nosura exclareſcis! Generoſum ſine nevo animum! In-
 ſanos à DIIS oriunde! ſana magnanimiter! Ini! ſi-
 ligas.*

MAXI

VII.

MAXIMILIANVS, DEI GRATIA, COMES PALATINVS RHENI, SUPERIORIS ET INFERIORIS BAVARIAE DVX.

περ ἀνάγκης.

*AD IIS venisti Lux permira, fortis, magnanimus Leo.
Oh! Ibene! Pax aurea irradiet, cura sis!*

VIII.

GVOLFGANGVS. GVILHELMVS, DEI GRATIA, COMES PALATINVS RHENI, DVX BAVARIAE, IVLIAE, CLIVIAE, ET MONTIVM: COMES VELDENTII, SPONHEMII, MARCHIAE, RAVENSBVIRGI ET MORSAE: DOMINVS IN RAVENSTEIN.

περ ἀνάγκης.

Generoso sanguine genitus, generosam niteris. Eja liceat è re talia vel jamnum bono publico niti! Amove mala! felix succurre! Vides, Germania diu dimissa magnam vulnus patitur.

IX.

IOANNES. FRIDERICVS, DEI GRATIA, DVX WIRTEMBERGAE ET TECCIAE: COMES MONTISPELGARDIAE: DINASTA IN HAIDENHAIM.

περ ἀνάγκης.

Sine invidia es. O Te Dii! Germania haectenus exagitata diro turbine. Ad pacem firmam consule! Da sic ritè degere.

X.

IOANNES. FRIDERICVS, DEI GRATIA, DVX WVRTTEMBERGIAE ET TECCIAE: COMES MONTISPPELLGARDIAE.

E 2

TIEN.

TIENSIS: DYNASTA HAVDENHEVMENSIS ET
OBERKVRECHENSIS.

per ἀνάγραμμα.

*Hic à DIIS oriundus splendet omni virtutum ge-
nere Kumulatissimus: Hic ceu Titan inter astra: Hic
orbis fax regia. Des ergo, des DEVS Hic bene senescat!*

XI.

Barbara Sophia von Gottes genaden / Herzo-
gin in Wirtenbergk vnd Tefh: Grevin zu
Mümpellgarte / Fraue zu Hendteinheim / ge-
bohrne aus Churfürstlichem Stamen Brand-
denburg.

per ἀνάγραμμα.

Diese Fürstin aus hohem Geblüth ist ein-
werthe hochbegabte Matron: Im puren Glau-
ben beständig: Ihr Paanier im Kreuz gedult-
trog darneben im Unglück auff den Herrn gar
ohnverzagt.

XII.

IOHANNES-FRIDERICVS DEI GRATIA, DVX
WIRTEMBERGIACVS ET TEECENNSIS: CO-
MES MONTISPELLGAARDIENSIS: DYNASTA
HEVDENNHEIMENSIS. BARBARA SOPHIA
DVCISSA WVRTTEMBERGIACA: NATA EX
ILLVSTRISSIMA FAMILIA ELECTORALI
BRAANDENBVRGIACA.

per ἀνάγραμμα.

Coniunctis nominibus, melio-
ribus omnibus.

AN

ET
ge-
Hic
cat!
ergo
zue
ge
and
ein
lau
ult:
gan
OVX
CO
TA
IA
EX
ALI
An

*Annus hicce novus Vobis sit felicissimus Magnani-
me Heros, Matrona incluta! Ingedimini dexterrime!
addite annos deinde sagaces plures! sit pax bis cara,
rara! absint bella, arma! haud abbreviet vestra gau-
dia Lachesis! Revigete feliciter.*

Infelix anni novi auspiciu d. 5.

anno

Io! VIVant Ian - FrIDerICVs & Barbara SophIa
VIRteMbergenses!

XIII.

LVDOVICVS - FRIDERICVS, DVX WIRRTEM-
BERGIAE ET TECIAE, COMES MONTISBELL-
GARDENSIS, DYNASTA HAIDENHELM-
MENSIS.

per a. a. p. p. p.

*Administrationem aggredere juxta Illustrissimam
viduam feliciter! duc nos diu bene! sub hoc sydere se-
nesce!*

XIV.

Georg/ Landgraf in Hessen / Grave zue Catzen-
ellenbogen / Dietz / Biegeinheim vndt Nitta.
Sophia Eleonora / Herzogin zue Sachsen /
Güllich / Cleve vndt Berge / Landtgrevin zue
Thüringen / Marggrevin zue Meissen / Brevin
zuer Marckht / Rawenspurgech vndt Mors /
Frewllein zue Ravenstein.

E 3

Conjun-

Coniunctis nominib.

per ἀνάγραμμα.

*Illustriss. Sponsus alloquitur
Sereniss. Sponsam.*

○ Durchlängtigste Princessin ! In getreuer
Ehelichen Lieb wolle Gott vns vnser Leben lassen
zue bringen.

*Sereniss. Sponsa Illustriss. Dn. Sponso
respondet.*

○ Durchlängtiger Fürst. Wir nemmen Euer
re Altezza ahn/ meinen vnd vertrauen vns ganz
Eigen zu einer gar getreun Gemahlin.

Populus adstant adplaudit :

○ Gott frestige diß ! ○ schickh da gute ruhe

*Facieb. humilim. subject. & congratulat. ergo
Dresda Ann. 1625. mens. Ianuar.*

XV.

ILLVSTRI VIRO. DN. BLEICKHARDO AB
Helmstat Dn. in Hinstingen, Equiti, & Sereniss. Prin-
cip. Wurtemberg. supremo Praefecto, Mecænati
gratioso, Compatri de vote ho-
norando

Super recens natum Filiol.

BLEICCARDVS AB HELMESTATT, DOMINVS
IN HINSTINGENN : EQVES : CONSILIARIVS
ET SVPREMVS AVLAE WIRTTEMBERGACAE
MAGISTER.

per

per ἀνάγρᾰμμα.

*Est suboles nata Tibi, Vir generose, secundet
Istam pace DEVS! crescat in - illa - ! genus.
Sitque urbi magnum lumen: & arrha mihi!*

XVI.

EIDEM.

Bleichhard von Hellmestaadt / Herz in Hünsting-
genn / Obbrister / Fürstlicher Württemberggi-
scher geheimer Rhat vnd Landhofmeister.

per ἀνάγρᾰμμα.

Diessem Herrn hatt Gott beschert
Ein jungen Sohn lieb vnd wörth.
Herz verleh Im glück darneben!
Herz erzfrist auch Im fein lang das Leben!

XVII.

Tumulo Nobiliss. Viri

DN. IOAN. CHRISTOPH. AB ENGELSHOVEN
Cancellarij Württemberg.

IOANNES - CHRISTOPHORVS AB EN-
GELSHOVE.

per ἀνάγρᾰμμα.

*Oh! Sapiens ego, en sub terra cubo
solus.*

XVIII.

AD MAGNIF. VIRVM Dn. IACOB. LOFLERVM
IC. Vice - Cancellarium Württemberg. Patron.

& Ad finem.

E 4

IACO.

IACOBVS LAEFLERVS, IVRECONSULTVS,
VICE CANCELLARIVS VIRTTEMBER-
GIACVS.

per ἀνάγρᾱμμα.

*Floreas in æsum belle Vir Ter clare! Vincas sic suc-
cus, tuba & vigor seculi.*

XIX.

AD NOBILISS. ET AMPLISS. VIRVM
Dn. Anton. Wolff à Zodenwarth/ IC. Com. Pal. Caf. &
Cancellarium Darmstadin. Patruelem
& Compatrem.

ANTONIUS WOLFIVS IVRECONSULTVS.

per ἀνάγρᾱμμα.

O flore Tuis ut Siveus lucus in annos.

XX.

Eidem

ANTONIUS VOLFIVS IVRECONSULTVS.

per ἀνάγρᾱμμα.

Tu Flos ito! in annos surculus Sive!

EVOLVTIO.

Al satiam linques, & Cattum tecta subire
WOLFI constitues, decus virorum?
Sic est! qui tempus bene longum civica jura
Tractasti, sociaris en ad Aulam.
Aulam, quæ Themide, & pietate, fideq; probata
Fulget, quæ similem sibi haud habebit.
Nempe ita fors voluit, sic gaudet & incluta Diva
Par conjungere cum pari potenter.

Quando

VS,
ER-
Quando igitur junxit Te Dux Ludovicus ad aulam
Princeps Hassiacus potens, piusque:
Et Tu constituis magni Ducis atria magna
Frequentare, facis piè probèque.
Ito ergo: ito modo, quò Fata, Deusque vocarunt,
Et sis Consiliis tuis saluti!
Tu flos ito virùm, Themidos dexterrime vindex!
Esto Scævola consulendo prudens.
Ingenio genioq; vales, Respublica Catta
Ex te percipiat, quod est salubre!
Sicq; vale longum! Sic *surculus* almus in annos:
VVolfi, & Ve! mei memorque flore!

XXI.

AD MAGNIF. VIRVM DN. VITV M
Braitsch & Verd IC. Consiliar. secret. VVürtemb. Pa-
tron. & Adfin. ob natum ex filia Anna. Agne-
ta Neufferin Nepotem primum.

VITVS BRAITSCHVVEERTIVS IVRISCONSUL-
TVS, CONSILIARIVS WIRTEMBERGIACVS
STVTGAARDIANVS SECRETIOR.

per ἀνάγκη.

Ob Nepotem salutaris Aus. O sit hic sanus! & ige-
at generi rursus luci! currat Cibus Virtutis, Vir discre-
tus!

XXII.

AMPLISS. VIRO DN. HENRICO HILLERO.
Consiliar. & Camera Secretario VVürtemberg.
Patron. & Compatri.

HENNRICVS HILLERVS, CONSILIARIVS ET
SECRETARIVS WIRTTEMBERGIACVS.

Es per

per ἀνάγρῃσιν.

In felix anni nov. auspicio.

*Annus hic tibi sit serenus! Cura sis, melior ille re-
currat! Tu Vigefecure!*

XXIII.

AD REVER. ET CLARISS. VIRVM DN.
Ioan. Taufrerum S. Theol. D. olim suum
Commensalem.

IOANNES TAUFREVS, SACROSANCTAE
THEOLOGIAE DOCTOR DESIGNATVS.

per ἀνάγρῃσιν.

*Deus, Fortuna, aeterna gloria assunt. Age! Hic os
Ces doctrina esto.*

Evolutio

ECHO.

<i>Ingenium ingenuum semper celebrabitur?</i>	<i>E. itur.</i>
<i>Obscuratum! otium quem saturabit.</i>	<i>E. abit.</i>
<i>Arte labore decus verum hic adquirimus.</i>	<i>E. imus.</i>
<i>Non sic Eunomies castra sequeris?</i>	<i>E. eris.</i>
<i>Non studio major decor esto pectoris.</i>	<i>E. oris.</i>
<i>Ex otio Andromachen nolis amare!</i>	<i>E. mare.</i>
<i>Sudor, crux, labor & multum doluere.</i>	<i>E. fuere.</i>
<i>Taufrere o Sophia Gloria vera</i>	<i>E. mera.</i>
<i>Ast sudore paras decus omnigenum modo.</i>	<i>E. sudo.</i>
<i>Vnanimi etatis flos eris ore</i>	<i>E. more.</i>
<i>Felix! Hic Fortuna favet, Deus optima</i>	<i>E. prima.</i>
<i>Retribuit Praesto Gloria, dona.</i>	<i>E. bona.</i>
<i>Ergo age quisquis eris mecum cantabis</i>	<i>E. amabis.</i>
<i>Religio cordi si Tibi sane.</i>	<i>E. Cane!</i>
<i>Virtutis, Sophiae Doctrinae os esto.</i>	<i>E. praesto.</i>
<i>Sis Cos Theologum & Regula! Vigef!</i>	<i>E. Vigef.</i>

Et 96-

ΕΤΕΟΣΙΧΟΝ.

LVX In qVa CeLebrat festVM IVLiana serenè:
LVX, Vt TaVfrerI ConCeLebretVr honcs.

XXIV.

Ad ReV. Nob. & Clariss. Virum

DN. HECTOREM MITHOBIVM, CVM DE-
portatum in Theologia Lauream Doctoralem
abiret Tubingam. Ad fin. & Fra-
trem suum.

HECTOR MITHOBIVS SACROSANCTAE
THEOLOGIAE DOCTOR.

per ἀνάγκη.

Deo, Angelorum choro & castis chare! Ito Thobias cito!

EVOLVTIO.

H Ectoris est nomen concessum *Clare Mithobi:*

Hectoris en magni sunt quoq; facta tua.

Ille suâ forti, vigili, pugnaceque dextra

Orbi se clarum præstitit esse virum:

Ille viris charus, quos vel fors aspera pressit.

Ille hosti rigido terror & error erat.

Proque focus nostris, proq; ara Tu quoq; pugnas:

Teq; Orbi clarum suppetis esse virum.

Tu doctis charus: Tu charus es omnibus: Omnes

Ingenii celebrant dona verenda tui.

Tu Sathanæ pulsas calamo tentamina; voce

Quassatas mentes condis alisq; tua.

Ergo Te merito summi sectantur honores,

Quos virtus meruit, quos pietas meruit.

Hos abis acceptum. *Bene sit felixq; bonumq;!*

Sint illi laudi, Magne Iehova, tuæ.

Princeps ille Tuus Celsissimus inde decorem
Sentiatur ! inde Pater sentiatur ! & Patria !
Sit quoque Iova Comes fido custode *Thobia*.
Namque *Deo, castis, calitibusque places!*

X X V.

*TV MVLO MAGNIF. VIRI, DN. IOANNIS
Halbritteri, IC. Consil. Brandenburg. Württemberg.
Badens. Profess. Academ. Tubing. primar.
Dni sui Soceri obseruandis.*

JOANES HALBRITTERVS.

per ἀνύγραμμα.

Sit bona terra leuis.

Ergone lativagas *Ian Halbrittere* per oras
Laudate, Aonii faxque decusque chori ?
Ergone obis tandem placide, melioreq; cœlum
Parte tui terras deteriore petis ?
Nec vel *Mæoniis* Morta atra repellier herbis,
Phœbæâ aut potuit vincier artis ope ?
Scilicet iuisti ! tecumq; iuere sepultum
Ius *Themis* & *Pietas*, & probitatis amor.
Hinc ita deplorant *Iuvenes* tua fata, senesq; :
Hinc quoq; quod lugent *Cræsus* & *Irus* habent.
Longius optasset Te *Hector* *Brandburgicus* ille:
Noster eras, noster *Tecciacusq;* gemit.
Marchio *Badensis* sibi demptum plorat *Achatem*:
O, ait hic, nulli parcere *Parca* potes ?
Singuli at hoc frustra ! Tibi quod nunc luce fruisci
Parca negat, factum est sic statuente *Deo*.
Interea ast viues nobis : *Tua* *Fama* manebit,
Fama vel æternis nobilitanda cedris. Nec

Nec nomen poterit male - sanus rodere Momus,
Invidia aut clarâ tollere luce tuum.

Ergo perpetua tua mens in pace quiescat!

Ossibus atq; tuis *sit bona terra legis!*

Cumq; Tua Gnata mihi (quondâ heu!) cōjuge, salve!

Dic; *Agnes*, tecum *Wolffius* esse cupit.

F. pridie Eidus Majas Anno, quo

EXCeLLens ILLe DoCtor, faX IVrls & TVbIngæ

AnteCessor IanVs HaLbrItterVs In Chri-

sto serVatore sVo senIo ConfeCtVs

obIt & oCCVbVIt.

XXVI.

TVMVLO AGNETAE WOELFIN, NATAE

Halbriterin Matronæ pientiss. cariss. Con-

jugis primæ.

*Vt justa exequialia Karissima Conjugi, Agnetæ
Halbriterin, Fæminæ incomparabili persolverem: &
Vel anagrammatismo, vel carmine id peragerem: pla-
cuit ex Antiquitatum ruderibus & monumentis hic ad-
ponere, quæ olim Claudix sue Homonæ poni curavit
Romæ Atimetus Pamphiliti, Cæs. Aug. Libert. cujus-
que meminit Insignis ille Antiquitatum Admirator &
Indagator Ianus Gruterus I C. in suis inscript. antiq.
tot. orb. Rom. fol. 607. n. 4. paucis saltem mutatis. &*

sic alloquar defunctam ore

Atimeti.

SI pensare animas sinerent crudelia Fata

Et posset redimi morte aliena salus,

Quantulacunq; meæ debentur tempora vitæ,

Penfassem pro Te, Cara Marita, lubens.

At

At nunc quod possum, fugiam Lucemq; Deosque,
Vt Te maturæ per stiga morte sequar.

Defuncta respondet lingua Homoneæ.

PArce tuam, Coniunx, fletu quassare iuventam,
Fataq; mœrendo sollicitare mea!
Nil profunt lacrimæ: non possunt Fata moveri:
Viximus hîc: Omnes exitus unus habet.
Parce! Ita non unquam similem experiare dolorem!
Et faveant votis Numina cuncta tuis!
Quodq; mihi eripuit Mors immatura Iuventæ;
Id Tibi victuro proroget ulterius.

Eadem ad Viatorem & Lectorem.

TV, qui securâ procedis mente, parumper
Siste gradum quæso: verbaq; pauca lege!
Illa ego, quæ claris fueram prælata Puellis
Agnes Volfiade hoc condita sum tumulo,
Cui formam Paphiæ, Charites tribuere decorem.
Quam Pallas cunctis artibus erudiit,
Nondum ter denos ætas mea viderat annos,
Iniecere manus Invida Fata mihi.
Nec pro me queror hoc, morte est mihi tristior ipsâ
Mœror, vah quondam! Coniugis ille mei.
Disce mori lector: Tuq; id perdisce Marite!
Respice! Res hominum, quam brevis urna premat.

Anagrammatism. esto talis.

AGNES WOELFIN NATA HALBRITERIN.

Mutat. lit. N. in E.

En! In sinu Abrahe taliter fulgeo.

*O fulge sic Coniunx desideratissima & flore! non in-
sideo.*

*Video. Quin potius opto, Te brevi eodem in beatitatis
flore & fulgore queam adspicere, & nos, quorum cor-
pora Mors quidem solvit, in felicissima illa animarum
harmonia & animorum combinatione, alter alteram
valcamus in nova corporum magnificentia latissimis
gestibus, dulcissimis ulnis, gratissimis manib. excipere.*

Interim

*In hoc ergastulo, & quo in mundanis his vani-
tatibus circumscriptus teneor,
Tu mihi imis infixis medullis semper manebis, neque
Tui memoria abolebitur etiam si,
Pocula lathæos vel si ducentia somnos
—— arente fauce traxerim*

*Proinde & hoc ulterius huc adponere volui, quod
ob mortem Conjugis suæ Cattiliæ Marcianæ in sarco-
phago olim posuit M. AEmil. M. F. Ianuarius Romæ
in S. Mariæ in Aventin. & quod recenset Idem Gruter.
d. lib. pag. 762. n. 12. ad Momum:*

*Invide quid gaudes? Illa hæc mihi mortua: Vivit.
Illa meis oculis aurea semper erit.*

XXVII.

*Tumulo Filiolæ primogenitæ Mariæ-
Euphrosinæ.*

MARIA EUPHROSINA Bœlffin: WOELFIN.

1. O Paue Im! (Deo) wir faren also hin.

Parens ad Defunctam.

2. Filia es. Ah unum oro: ne priva!

Defuncta respondet.

3. Ah mi Parens! Vni viva floreo.

4. O ne humi fleas! Nova artipui.

Tumulo

XXVIII.

TV MVLO NOBILISS. VIRI, DN. CHRIS-
tophor. Iacobi Elsenhameri ab El-
senhaim.

CHRISTOPHORVS - IACOBVS ELSENHAME-
RVS AB ELSENHAIM IN PRAEPRVN.

*Adloquitur obitum & abitum suum
lugentem.*

per ἀνάγκη.

*Vita & escar. Morin' arcebis? perpesn' es? ó non!
bulla ipsus mera.*

S Ilte tuas lacrimas mea Coniunx! siste viator!
Siste focer! socrus! cognati sistite! siste
Turba Comes nostri mœrores funeris atri!
Vixi ego, sed fragilem vitam: jam vivo perennem,
Quamvis nulla potest, nulla & disrumpere clades.
Hac *vita & escar*, resonant ubi gaudia cantus,
Atque ubi ter magnam Triaden videre relictum,
Quam colit, & summis quam cætus cœlicus effert
Laudibus: & *Sanctus, Sanctus, Sanctus*q; recantant.
Præcurri: sequere Tibi coniunx linquo: Tibique
Linquo viator. Ita est, Mors omnibus imperat: Illa
Et Regum turreis, casulas & Rustici adæquat,
Hæc vitæ lex est, non hanc mutare potessis.
Dic etenim, Te quæso. *Morin' arcebis?* at umbra es,
Dic porro! *Perpesn' es?* num vel vivere vitam
Perpetuam Te posse putas? *ó non! mera bulla*
Ipsus es, & fragili de terræ cortice sumptus,
Exemplo disce ergo meo sic vivere vitam,

Ut fragilem costam possis deponere, quando
Rex hominum superumq; Deus Te iussit abire.
Is vixit bene, sic vivet, qui tempore quovis
Ad mortem instructus vivit. Næ cœlica regna
Hunc comitabantur confestim. —————

XIV. Iunij Anno

Beati qVI In DoMIno IesV Christo obierVnt.

XXIX.

TVMVLO AMPLISS. ET EXPERIENTISS. VIRI,

Dn. Ioannis Oberndorferi Com. Pal. Cesar.

Medici excellent. Senis LXXVI.

annor.

JOANNES OBBERNDORFERUS,
COMES PALATINUS ME-
DICUS.

per ἀνάγκη.

Florebam. Nunc Vermibus esca. Dia spes in
Deo nostro.

VII. Eid. Septembr. anno quo dictus

EXperientia præstans MEDICVS In senio ple ob-
iit & abiit.

XXX.

TVMVLO CLARISS. VIRI, DN. IOANNIS CON-
rad. Essigij Acad. Tub. Syndic. Senis LXXII. annor.

Dn. sui Soceri secund.

JOANNES CUNRADUS ESSIG.

per

per ἐν αὐτοῖς παύσει.

Gaude sis. Sanior es nunc.

Sanus eras semper. *Gaude sis! saniores nunc*
Tantum olim talis corpore; nunc anima.
Quàm vero sanus, tam tristia pectora linquis,
Pectora tristit: à multa repleta merâ
Plangit enim, dilecte Socer, Te Tubia tellus,
Magnates, Coniunx, Te subolesq; gemunt.
Plango ego, cui Soceros rapuit Mors aspera binos
Anno hoc, quos habui maxima fulcra mihi.
Ian Halbrittere ô Themidos clarissima lampas
Tu præcessisti. En! *Esbigius* sequitur.
Augustus mensis non est augustus; acerbus,
Angustusq; magis nomenitandus erat.
Tot mihi nam clades, tot funera reddidit ille,
Vix habeam ut tenuem quæ tegat ossa cutem.
Est Pater: est Mater: Soror est; est Filia: Coniunx:
Est Socer: hos omnes mensis hic abripuit.
Fatalem mensem! Sed quæ dant Fata, feramus:
Quæ nigra *Iova* facit candidiora nive.
Tu sed care Socer, quem dira ita Fata vocarunt,
O Salve Angelicis digne Brabeuta choris!
Collegisq; novis quos dixi, quæso salutem
Dic: Matri, Gnatae & Coniugi & atq; Patri.
Te sequar atq; illos, quum *Iovæ* rumpere filium
Complacet. Interea vive vigeq; Deo!

Anno quo

Ioannes ConRADVS EsIG seneX septVagenarIo
Malor plè obIt.

AD

XXXI.

AD REV. VIR. MICHAEL. MEIXNER.
 Diacon. Ratisbon. super obitum Conjugis
 Margarethe.

Ode ix. & xiv. Horat. lib. i. Parod.

MEIXNERE luges flebilibus modis
 Vxorem ademptam : nec tibi vespero
 Surgente decedunt amores
 Nec rapidum fugiente solem.
 Sic est est medullis MARGARIS intimis
 Infixa ! Verum desine tristium
 Tandem querellarum ! Deique
 Hoc opus esse memento tecum.
 En ! nec ter ævo functus amabilem
 Ploravit omneis Antilochum senex
 Annos, nec impubem Parentes
 Troilon, aut Phrygiæ sorores
 Flevêre semper. Rebus in omnibus
 Servandus ordo est. Excute tristia !
 Mutare quod non possumus. Quid ?
 Nonne feramus & hoc lubentes ?
 Non si tricenis quotquot eunt dies
 Amice places illacrumabilem
 Plutona tauris, qui ter amplum
 Geryonen, Tytionque tristi
 Compescit unda. Scilicet omnibus
 Quicumque terræ munere vescimus
 Enaviganda, sive Reges
 Sive inopes erimus Coloni,
 Linquenda tellus & domus & placens
 Vxor, neque harum, quas colis arborum
 Te præter invisas cupressos

Vlla

Vlla brevem Dominum sequetur.
 Hæc mente tecum volve revolveque
Meixnere! costam corporis unicè
 Crustamq; puram longe amâsti:
 Hanc modo linque Deo potenti,
 Nunc lucet splendens Margaris in polo:
 Et Perla fulget nobilis in Deo:
 Gaudet simul, lætatur uxor
 In Domino: resonatq; laudes.
 Nos interim deplangimus omnia,
 Et in periculis vivimus undique.
 O quàm beata est Margaris jam,
 Linquere quæ voluit pericla.

XXXII.

*AMPLISS. VIRO DN. IOANNI HARPRECHTO
 IC. & in Academ. Tubing. Antecessori celebratiss.
 Adfuit. sup. commentar. in Instit. Iur. de
 Except. Replicat. &c.*

IOANNES HARPRECHTTIVS, IVRISCONSUL-
 TVS ET ACADEMIAE TVBINGAENSIS ANTE-
 CESSOR EXCELLENTISSIMVS.

per ἀνάγραμμα.

*Hicce Senex - Nestor ad Necarum insigne thus, Ocellus
 juris prestans, justitia Columna & basis est.*

Q Vando mihi summos olim Doctoris honores
 Annuli & usuram, quum pileumque dares:
 Complacuit summis subtexere honoribus illis
 Carmen, sed carmen, quale anagrāma vocant.

Illo

Illo ibas, ibasque iterum (licet amplius æquo)
Sed tamen in laudes sic fuit ire meas.
Nunc ut compensem, par sicq; pariq; reponam :
En contra carmen pono anagramma tibi.
Carmen quod tenui laudes cantare Minervâ
Aptum, sed laudes rite sonare tuas.
Atq; utinam flueret vel vena Maronis, Homeri,
Subderet aut calamum Naso Poeta suum !
Crede mihi, haud humili canerem tua facta cothurno,
Verùm ut Pindarico Spiritus ore tonat :
Sic ego virtutes heroa ad robora ferrem,
Efferremq; tuum nomen ad astra poli;
Efferrem genus, & doctrinam, & pectora lacte
Et non calcata candidiora nive.
Pollio sis, nostram, quamvis sit rustica, Musam
Accepta & paucis magne relata puta !
Paucis pauca ajo ; paucis sed quæ modo fundo
Vera hæc ; & testis quisquis acutus erit.
Quisquis, cui Titan melius præcordia finxit,
Hæc de Te vere fundere verba potest.
Hicce Senex-Nestor thus est insigne Decorum,
Gemmaq; Doctorum, quot vagus orbis habet.
Ad Necarum hicce Senex thus est insigne Tubingæ,
Quin etiam ad cunctas Bellerophontis aquas.
Iuris item præstans nostri celebratur Ocellus,
Firma Columna simul, Iustitiæq; Basis.
Dicta en sunt paucis, vel quæ dicenda fuere !
Nonne ego sic paucis omnia summa dedi ?
Sed repeto. *Thus es doctorum ; Iuris ocellus :*
Esque columna simul Iustitiæque Basis.

XXXIV.

IN EIUSD. COMMENTAR.
de Legatis.

In

IN juris multi multas elementa dedere
 Glossas, & docili consuluere scholæ
 Sunt Tibi Schraderus, Reusnerus, Acursius, Azo,
 Senferus, Borcholt, Angelus, Althusius.
 Contius, Altenacus, Schilbock. Cantjucula, Schneid-
 Forsterus, Magius, Freigius & Pacius. (vvin,
 Mynfingerus item, Gothofredus & ille Donellus
 Vultejus, Nonius, Sturcius, atq; Faber.
 Renmannus, Treutler, Cujacius, Heigius; atque
 Matthæus, Cothman, Klingius, & Stephani.
 Vt Wesenbecium taceam, reliquosq; celebres
 Qui super astra viri, qui super astra DII.
 Hi cuncti in juris doctas elementa dedere
 Glossas, & docili consuluere scholæ.
 Sed tamen hos omnes multum superare laboras
Harprechte Astræi gloria summa chori.
 Nec frustra est illud conamen. Plaudit Apollo:
 Ipsa Themis plaudit: culta iuventa probat.
 Horum quotquot erunt, quotquot sunt, quotq; fuere
 Vnanimi & fato hæc verba referre student.
Per multos titulos Harprechtus solvit. Is ipse
Si reliquos perget solvere, summus erit,
Quotque fuere unquam, cum tempore quicq; futuri:
Non erit hunc Sophoclem qui superare queat.
 Maeste igitur virtute tua, maeste indole clara!
 Maeste animo Aonio, vir celebrande, Tuo!
 Atq; ut solvisti sancti Theoremata juris;
 Vt de *Legatis* parta labore vigent:
 Sic studeas reliquos titulos absolvere paucos;
 AEtati & teneræ confule porro probe.
 Crede mihi: Cunctos quos vel memorare placebat,
 Splendidiore modo Tu superabis ovans.

Nob.

XXXIV.

Nobiliss. & Ampliss. Viro

DN. CHRISTOPHORO BESOLDO IC. INCL.
*Acad. Tubing. Antecess. celeberr. Adfimi Fratris
 instar colendiss. in libr. Politicor.
 Schediasma.*

Sic est! conveniunt suis *Besolde*
 Rebus nomina. Namque qui vocavit
 Et Te *Christophorum*, & simul *Besoldum*,
 Exemplum is voluit locare dicti
 In Te, verificum simulque fecit.
Christum fers etenim pio proboque
 Corde; Diligis intimis medullis
 Christum: Hinc *Christophori* tibi sacratum
 Nomen. Retribuis suum cuique:
 Hinc & Iustitiæ gravis Sacerdos.
 Quin ac officiis *Remunerari*
 Pergis quælibet. Hinc Tibi *Besoldem*
 Nomen. Nec satis est remunerari
 Velle hæc officiis: Sed & laboras
 Absenti faciles manus litare,
 Immo Iuridices Politicesque
 Sectatoribus alma consecrare
 Pergis præmia. Namq; nullus extat,
 Qui non præcipuam sui laboris
 Mercedem retulisset, & legisset,
 Iuris scripta tui, & Politicorum,
 Sic sic invigilas remunerari
 Alumnos studii & Politicorum,
 Perge *Christophori*, stude *Besoldi*
 Nomen continuare! scripta plura

Porro

Porro suffice ! sic Tibi sacrabit
Grates Posteritas , & ampliabit
Nomen *Christophori* piè *Besoldi*.

XXXV.

IN EFFIGIEM AMPL. VIRI DN. IOANNIS
Hiltneri IC. *Reip. Ratisbonens. Primi*
Consiliarij.

IOANNES HILTNERVS IVRIS DOCTOR.

per ἀνάγραμμα.

Docuit sanus : nil retrorsi in eo.

Effigiem veram hinc dat, Lector Amice Ioannes
Hiltnerus, juris Doctor, Amor Charitum.

Vir devotus erat : *Docuit civilia Sanus :*

Nil retrorsi in eo : Candidus ille fuit.

Luthero notus : & Consiliarius Urbis

Ratisponensis primus : honore valens.

Restituit lucem tenebris ; qua religione

Cives nunc florent, Auctor & Actor is est.

XXXVI.

IN EFFIGIEM CL. V. D. IOANNIS OFEN-
dreschij IC. *Reip. Ratisbon. Consiliar.*
secundi ordine.

IOANNES OFENDRAESCHIVS IVRECON-
SVLTVS.

per ἀνάγραμμα.

Na is Consilio nervosus ! Na & is refacundus.

Hacce

H Accē Ioannes erat facie Ofendræschius ille,
Cum meliore sui parte superstes erat.
Consultus - jure & vir, quem Tritonia Pallas
Edocuit, multâ & reddidit arte gravem.
*Is na Consilio fuerat Nervosus! Is ipse
Et refacundus perspicuusque fuit!*
Hinc etiam inscriptus fuit albo Imbriopolis Urbis
Syndicus: Hic curis lassus ad astra abiit.

XXXVII.

*In effigiem CL. V. D. Michaelis Pühlmeieri IC. Reipub.
Ratisbon. Consiliarij Ordine
Tertij.*

MICHAEL P V H L M E Y E R I V R I S -
C O N S V L T V S .

per ἀνάγραμμα.

Erat is pius: cum illo sic lumen Veri.

E N! Faciem visus Michael Puhlmeyr ad illam
Quondam erat: in vera simplicitate bonus.
Jurisconsultus prudens: bis pulsus in atrum
Exilium ob verbi dogmata sacra Dei.
*Sic Pius & constans erat is: Cumq; illo erat inde
Sic lumen veri, Pieridumque favor.*
Ratisponensem juvit dexterrimus urbem
Consiliis: tulit hinc dia brabeja poli.

XXXVIII.

*In effigiem CL. V. Dn. Ioannis Dieëmeri IC. Reipub.
Ratisbon. per 45. annos Consiliar. ordin.
quarti. Senis LXXV. annor.*

F

IOAN-

IOANNES DIEEMER IVRIS-
CONSULTVS.

per ἀνάγκη.

Diſtinus eram re, ſenſu, & conſilio.

T Alis eram vultu ſpectator: eram ille Ioannes
Dieêmer, Conſultus - iuris, honor Themidos.
Nam *Diſtinus eram re, & ſenſu, conſilioque:*
Publica res ſemper prima, ſecunda mea.
Imbriſopolis curas ſenſit per luſtra novena
Sinceras: vires ſorbuit illa meas.
Poſt, exantlatis diris magnisq; periclis
Aeterni hoſpitii tradita laurcola.

XXXIX.

*In effigiem CL. V. Dn. Benigni Pühlmeieri IC.
M. F. Reipub. Ratiſbon. Conſiliar.
ordine quinti.*

BENIGNVS PÜHLMEIRVS IVRIS-
CONSULTVS.

per ἀνάγκη.

Vnctus ſub muſis: in Relligione purus.

C Onveniunt rebus ſua nomina ſæpe: Benignus
Pühlmeirus teſtis nomine rite ſuo.
Iurisconſultus præſtans. Erat ille benignus
Verè: & ſic magni maxima imago Patris.
Vnctus ſub muſis; purusq; in Relligione:
Conſiliis fidus, providus atque ſagax.
Imbriſopoli validos valuit perferre labores:
Enthea nunc fruitur mens meliore die.

XL.

*In effigiem CL. Vir. Dn. Casparis Stemperi
IC. Reipub. Ratisbon. Consiliar.
ordine sexti.*

CHASPARVS STEEMPERVS, IVRIS-
CONSULTVS.

per ἀνάγκη.

Semper paratus visus, Hinc locus tersus.

Hic est Chasparus, Lector; Steëmperus, erat qui
Iurisconsultus magnus, & arte valens.

Impiger ad quævis visus, semperq; paratus :

Ipsi erat & tersus hinc locus ille datus,

Principis excelsi quò Consiliarius: Illum

Imbriolisque suo foverat alma sinu.

Tandem abiit Spiram: vitam exspiravit ibidem.

Terra habet ossa sibi: Cælica castra animam.

XLI.

*In effigiem Ioannis Stamleri IC. Reip. Ratisbon.
Consiliar. ordine septimi.*

IOANNES STAMLER IVRE-
CONSULTVS.

per ἀνάγκη.

Sive nullo rancore est. Nam justus.

Effigie expressum quem conspicis: Ille Ioannes
Stamler, Consultus jure in utroq; cluit.

Imbrioli officiis præsens erat ille Senatui

Et populo, simul & rexerat arte Themis.

Postea ad Augustum Themidos Spirense tribunal

Concessit: Senex - canus ibidem obiit.

*Vir sine rancore est ullo. Nam justus: ob illum
Candorem gratus Partibus atque Deo.*

XLII.

*In effigiem Magnific. Viri Dn. Sebastiani Fabri IC. Con-
sul. Reipub. Ratisbon. ord. octavi: post Sereniss.
Princ. Würtemb. ProCan-
cellarij.*

**SEBASTIAN FABER IVRISCON-
SULTVS.**

per ἀνάγκη.

Sat bene jura ob res sanus fulcīt.

Sunt sine jura nihil factō: res adsit oportet,
Et jus tunc dabitur, justitiæque locus.
Hoc etiam Iureconsultus sciverat ille
Sebastian Faber, & fortiter exhibuit.
Nam dum Tecciacæ Vice - Cancellarius Aulæ
Hic fuit, & primū Syndicus Imbrioli,
*Sat bene jura ob res hic fulcīt sanus: honorem
Hinc habet, & Cœli secla beata videt.*

XLIII.

*In effigiem Vir. Clar. Dn. Himerani Eisenkeck IC.
Reipub. Ratisbon. Consiliarij
ordine noni.*

**HIMERANVS EISENKECCIVS IVRIS-
CONSULTVS.**

per ἀνάγκη.

Lenis is: os ejus Verum, hinc cunctis karus.

Sic

Sic Himeranus erat tunc Eisenkeccius ille,
Quando illi vitæ lumina grata data.
Insignis fuerat Iurisconsultus: amici
Pectoris, in cunctos comis: ubiq; pius.
Nulla erat asperitas; sed *Lenis is, os quoq; verum*
Ejus, cunctis hinc karus & unus erat.
Ejus Consiliis postquam stipata per annos
Plures Imbriopolis: tandem ibi mortem obiit.

LECTOR AMICE!

Quum hic insignis huius viri Eimerani Eisenkeccij
IC. mei quoadam Collegæ, mentionem feci, placu-
it unum & alterum à se difficilimo, ut audies, conatu
elaboratum carmen addere: Carmen, cuius forma &
compositionem similem vel nunquam legisti, vel audi-
isti. Morbo siquidem ille diutino nimis lecto adfixus e-
tandem devenit, ut nec pedes, nec manus, nec linguæ
officia sua amplius facere potuerint. Breviter habet. Ex-
cellens ille vir nec scribere, nec ullum verbum protulisse
potuit; quæ solum, omnia nutu ad alterius laboriosissi-
mam interrogationem, immo divinationem ferme ad-
sequebatur. Eodem modo & subnexa carmina compo-
suit, hac via. Famulus ejus ipsi adsidebat, gestabat in
manibus tabulam aliquam Alphabeticam, totiensque
omnes & singulas Alphabeti literas graphio vel stilo
aliquo repetebat, usque dum Herus hanc quam volebat
literam penna exscriberet, sicque integrum aliquod
verbum consueret, ut dixi nutu saltem & mento an-
nuebat. Vbi ipse apud Te facile dijudicare potes, quem
laborem, quale tempus, quale animi promptitudinem
utrinque versus isti expostulaverint, & tamen, certo
adfirmare ausim, nullam ex variis ejusmodi reitexu-

tionibus ullius alicujus impatientia indicinam Sidisses.
Exemplum sine exemplo! Exemplum quod fragilitatis no-
stra humane nobis symbolum est: quod, ad ardentio-
rem Dei amorem, & purissimam & ita correctionem sin-
gulis momentis deberet calcaria addere. Tu, Lector,
quod adposui, benigne consules.

STRENA MISERABILIS

Ad

Inclutum Senatam Ratisbonensem

per

*Emeran. Eisenkeck I. V. D. Reipub. Advoca-
cat. 14. Januar. Ann. 1618.*

missa.

O Meccenates! ejus miserescite; cujus
Mortem ipsam miseret, non miseret Medicum,
Morborum invalit miserum me exercitus ingens,
Tam bene non valeo, ut vel numerare queam.
Sæpe quidem incipio numeros; sed finio nunquam:
Deficit ad longam vis memorans feriem.
Ipse nec Hippocrates, Medicinæ Præco Galenus
Huic simile exemplum, Posteritasve sciunt.
Quidquid ego patior, patiar; quia promptus ad omne
Imperium: Impatiens non potui esse semel.
Socratis & Iobi patientia nota per orbem:
Inferior longe est pondere, juncta simul
Tam premor innumeris causis mœroris & iræ,
Quæ penetrant inam cordis in ædiculam.
In quas imperii mihi jus, eheu! vice versâ
Illarum præsto nutibus obsequium.

Discite

Discite Mortales ! quid sit patientia ? Namq;
Nos debere pati pagina sacra docet.
Vita piorum aliud nihil est, nisi spesq; Fidesq; :
Cuncta fides tolerat, spes sua damna levat.
Ergo fide fortis patiar quodcumq; terendum :
Speraboq; solo vel meliora Polo.
Immundi mundi qui non gustavit amara
Cœlestis regni dulcia non meruit.
O Meccœnates ! miserescite ! quem modo morti
Obtrusit morbus, Mors sicilire pavet.

Aliud ejusd.

EXitus ut vitæ mihi sit placidusq; piusq; ,
Ardentes fundo nocte dieq; preces.
Sed linguâ & nervis toto quia corpore captus :
Solâ (ah quàm trîsti !) mente fatigo Deum.

Aliud ejusd.

Quotidie propior mihi Mors sicilire minatur :
Ut factò id præstet plus timet ac Medicus..

Aliud ejusd.

*In picturam in turri Curia supra Horologium
versus ortum.*

ANcillæ nutu secò vel traho stamina vitæ :
Illa mihi sola est Atropos & Lachesis.
Clotho autem est uxor, fidissima corporis altrix;
Bajulat illa colum, dum parat arte dapes.
Dic mihi, majori quænam sit honore colenda ?
Simplex an duplex, quæ gerit officium ?

F 4

Ejusdem

Ejusdem

Defensio Vxoris contra calumniatorem.

IRa, gelu, terror, vox flebilis atque sonora;
Quinq; hæc sunt nervis valde nociva meis.
Qui me invisere vult; intrans, nova, seria, læta,
Me quasi nil curans differere incipiat.
Sed tempestivè veniat stipatus amico,
Cum quo sermonem continuare queat.
Hæc non observans, fletum ciet, ille catarrhum,
Hic præcludendæ certa pericla animæ.

XLIV.

*In effigiem CL. V. Dn. Henrici Vvestendorperi IC. Reip.
Ratisbon. Consiliar. ordine decimi Adfin.
& Colleg.*

HENRICVS WEESDTENTORPERIVS
IVRISCONSULTVS.

περ ἀνάγκης.

*Veridicus is. Virtute lucens, Pronus,
Honestus.*

CVique suum dare; nullum lædere; vivere honeste;
Hæc sunt cordati munera Iuridici.
Sic vitam Henricus Weësdtentorperius egit.
Iurisconsultus quidni erat ergo probus?
Is nam *Veridicus, lucens Virtute, & honestus,*
Pronus, & ad quævis munera promptus erat.
Imbriolis vitam longævam optasset: at illi
Aethereas fuerat scandere cura domos.

XLV.

*In effigiem CL. Viri Dn. Zachariae Friedenreich IC, Con-
sil. Reipub. Ratisbon. ordin. XI. Colleg.
quond.*

ZACHARIAS FRIEDTENREICHIVS
IVRECONSULTVS.

per ἀνάγραμμα.

In facie ardet Zelo Veri. Is sanus succurrit.

EN Tibi! Zacharias hinc Friedtenreichius ille,
Est qui Consultus - jure in utroq; gravis.

In facie Zelo blanda ardet Veri & honesti:

Is quoq; succurrit sanus, & addit opem.

Consilio adhibuit Princeps Neoburgicus illum:

Vsa est Consiliis Imbriolisq; suis.

Annorum serie completâ cessit ad Aulam

Cæsaris hoc votum est. Floreat & vigeat!

XLVI.

*In effigiem CL. V. Dn. Ioannis Georgij Halbritteri IC.
Reip. Ratisb. Consiliar. ordine (à me, qui XII.
eram) XIII. Adfin. & Colleg.
quond.*

IOANNES - GEORGIUS HALBRITTER
IVRISCONSULTVS.

per ἀνάγραμμα.

*Innsit: Reos solatur: Suggestit rebus
Consilia.*

F §

Hacce

H Acce Ioannes adest, dignosce! Georgius ille
Halbritter tabulâ pictus in effigiem.
Iurisconsultus præstans, cui copia fandi
Ingenii & cuius copia magna fluit.
Innuis is verum: Solatur rite reosque:
Consilia & rebus suggerit ille proba
Is Wimpinensis fit Consiliarius Urbis
Primum: hunc Imbriolis jam tenet alma sibi.

XLVII.

*An effigiem CL. V. Dn. Georgij Gumpelshaimmeri IC.
Reipub. Ratisb. Consiliarij ordine
xiv. quond. Colleg.*

GEORGIUS GUMPELSHAIMMERVS IV-
RISCONSULTVS.

per ἀνὰ γράμμα.

Consilia suggeris promptissimus. Velum urge!

E T Tu hâc effigie Gumpelshaimmere videri
Expetis? ô facies pulcra & amata mihi!
Ingenii dotes mage pulchræ: istisq; serenas
Doctum orbem, & varios multiplici arte iuvas.
Consilia in rebus dubiis promptissimus æquè
Suggestis, ut solers singula Nauta probas.
Perge ita, perge tuam cymbam deducere in altum!
Velum urge! & crescens Fama perennis erit.

XLVIII.

*Ad CL. V. Dn. Andream Burchardum IC. Con-
siliar. Würtemb. Adfin. & Colleg.*

ANDREAS BURCHAARDVS IURISCONSULTVS
CONSILIARIVS WIRTTEMBERGIACVS.

per

per ἀνάγραμμα.

*Sudas strenuus. eritn' hinc tibi arra? Corona Lucis.
gaudebis Vir usu clarus.*

XLIX.

In ejusdem Natalem.

**ANDREAS BURCHAARDTVS IURISCONSULTUS,
CONSILIARIUS WIRTTENBERGIACVS.**

per ἀνάγραμμα.

*Recurrat natalis bona & aletudine! sit succus
sic diurnus, vigor bis rarus!*

L.

*In Natalem Nob. & CL.V. Dn. Ioannis Leonhardi
Breitschwendij IC. Consiliar. Wirtemb. adfin.
& Collegæ.*

**IOHANNES LEONHARDVS BREEITSCWEERTIVS
IURIS DOCTOR, CONSILIARIUS
WIRTTEMBERGIACVS.**

per ἀνάγραμμα.

*Tuus hodie natalis rursus est, Io gaude! Sit hic in re:
crebro! Tu & vigebis nervosior in secula!*

LI.

*In lauream Doctoralem V. CL. Dn. Ioannis
EngelbrechtI, Pomerani, sui quondam
Commensalis.*

**IOANNES ENGELBRECHTVS POMERANVS,
IURIS VTRIVSQUE DOCTOR.**

F 6

per

per triplex ἀνάπαυσα

ubi in medio lit. R. abundat.

1. *Ecce hos muros ! genus non vile, Virtus probitasque
arudent.*
2. *Ius habes opere. Solum Nicri graſe ! quod te ſuſtinet.
Cur non ?*
3. *Tu Secreti mirus honor beandus, qui generosè pectora
nutris.*

O Utinam flueret cantando vena Maronis,
Aut Tulli, aut centū mihi linguas adderet ille,
A quocunq; fluunt quiq; omnis in omnibus : Ille
Qui tribuit jus cuiq; ſuum : Deus aſtra gubernans.
Nam qui non peterem ! diſcedas Zoile, ſi vis
Rodere vota ! peto cantando vena Maronis
Nunc fluat. Hoc etenim tempus, quo dicere mens eſt,
Fortia facta virūm clarorum poſtulat illud.
Et ſi, dum levibus nonnunquam incumbere vates
Conſtituunt, optant linguas ſibi mille canendi :
Quidni ego, conſtituo dum annalibus atq; recenti
Hitoriā dignas res pertractare, rogarem ?
O utinam flueret cantando vena Maronis !
Adſis ô adſis igitur mihi Phœbe, ſororum
Theſpiadum Præſes ! des quò ſit carmine vena
Sanguiflua, ut multo præſtantes hoſce liquore
Irriget, in Themidos phano per teſqua per hirta
Qui conſueverunt peragrare ſalubriter oras.
Engelbrechte mei cordis pars altera primūm
Adſis ! Tu *Mullere* mihi non carior auro
Contra adſis ! ambos tollam ſuper ætheris ædeis :
Tollam, ſi vires modo ſatq; ſuperq; valerent.
Atq; ut Te celebrem primūm *Engelbrechte*. quid ? ipſe
Mutefco

Mutescō sanè. Nam si tua facta referre
 Constituo, a teneris tenerè tenerâ arte fuisti
 Imbutus, tali, quæ cernit dogmata veræ:
 Religionis, ut & teneris dēi artibus illis,
 Grammaticæ, Logicæ, ac aliis, Stagirita celebris
 Quas tractat, teneram vitam cum laude probasti.
 His ita tractatis, celebres statuere Parentes
 Musarum & Themidos Te sacrificare decoro
 Emporio, ut possis peregrinas visere terras.
 Hinc Mater lacrumans effudit talia verba.
 Filiole ex imo tibi pectore gratulor omnem
 Incolumem vitam; Pietati totus adhære:
 Atq; ita cum venerit tandem maturior ætas,
 Inservire queas Patriæ Patriq; studeto.
 His vale mi Fili. Lacrumans sicq; illa recessit.
 Hæc Tibi semper erant imis infixæ medullis.
 Namq; ubi Te primum præstans Academia vidit
 Illa Borussorum Regiomontana, cëlèbrem
 Vitam tractasti, studiis, pietate coruscam,
 Atq; horas alii quas contribuere bibendo,
 Has tu pervigili tribuisti pectore toto
 Aonidum turbæ libros volutando, legendo:
 Post decantasti supremum & aveto - valetō.
 Urbi & Rosarum dein Te insinuare volebas,
 Ille ubi *Friderus Mindanus* floruit (Ille
 Flos Themidos, lumen post nobile Giessida in urbe,
 Nunc. Francfurtensis generosus Syndicus urbis:)
 Ac ubi jam floret *Cotmannus* purior ille
 Interpres Themidos, cujus super æthera Olympi
 Fama viget. Rosas ibi tum decerpere vernas
 Mens erat, & factum: factum testantur id omnes.
 Hinc ad Leucoream volitasti industrius urbem,
 Sedulus instar apis libros scrutando, legisti

Melli-

Mellifluum Themidos succum ; in succumq; tulisti.
 Ergo ubi sic pietas, candor doctrinaq; præstans
 Undique percrebuit: Te te Pomerania coepit
 Mirari, dulcesq; tui coepere Parentes.
 Te quoq; *Franciscus*, Dux illustrissimus ille
 Miratus, celebrem post Teq; vocavit ad Aulam.
 Hic praxin gnaviter, quando acta legenda dabantur
 Et referenda, potis fueras perdiscere factum.
 Post ubi præfueras volitando per - acta - trimestre,
 Iudicio, (*Manni* vocitant) cum laude fuisti
 Adjunctus; graviter personam sustinuisti
 Adfessoris, erant sic omnes dona decora
 Mirati, unanimes de pectore vota canebant.
 Hos ubi caufidicos tractasti tempore longo
 Casus, doctrinam & summa cum laude probasti,
 Suasu ac hortatu liquisti Principis Aulam,
 Atque Academies visitasti moribus illis
 Antiquis, pietate, fide, virtuteq; multa.
 Hincq; Palatina est mirata Academia dotes:
 Extulit ingenium *Gothofredus*, Iuris asylum,
Hofmannus, jurisq; gravis *Calvinus* & æqui
 Interpres genii & ingenii sunt dona polita
 Mirati, innumeri Censores hosq; sequuti.
 Inde Tubingiaci visitasti sidera cœli,
 Utq; alibi: sic hîc cæperunt corcula juris
 Mirari ingenium varia virtute refertum.
Halbriutterus ovat: *Bayerus*, & ille *Magirus*,
Harprechtus, *Bocerus* ovant, *Besoldus* honorem
 Adplaudit: quid multa loquar? res ipsa serenat.
 Quid memorem? fundo cunctorum venit ad aures
 Quanta sit in viridi laus gloria, honorq; decorq;
 AËtate, hoc ipsum tua publica scripta loquantur,
 Quæ defendisti: merito ergo comprimo linguam.

Ergo

Ergo age! sis animo constanti; perge præire
Virtute, & Themidos defende industrius arcem.
Nec Te dimoveat Momorum perfida fama,
Quam spargent. Heros sis fortis honoris, & æqui
Æmulus, hinc decorat Te Pallas & enthea virtus,
Quamvis nulla potest remove perardua quamvis.
Ecce etenim *hos muros* (hic murus aheneus esto!)
Hic non vile genus, virtus probitasq; decora
Arriident: opere ipso Ius velut Incola habesque
Non igitur metuas morsus! vis nulla molestet:
Zoile si bonus es, quæso hos mihi destrue muros.
Cordati ingenium potius super astra corusca
Extollent, mecumq; canent sic pectore firmo.
O solum, quodcunq; tuum sustollet honorem
Infelix! nimium grave, quod celebrabit
Virtutem! Solum Nicri grave, si modo sæva
Sors daret, ut Nicri fieri Incola tempore posses.
Mandarem merito tum talia vota per ævum.
O solum Nicri grave quod Te sustinet! & dic.
Cur non? Tu seculi permirus namq; beandus
Es Honor, ætatem qui multa laude coruscas.
Quiq; & iustitia generose pectora nutris.
Engelbrechte mei cordis pars altera, cur non
Et Te mirarer? quidni & non fausta precarer
Quælibet? in tanto cum Tu verferis honore.
Iccirco hosce novos grator Doctoris honores:
Vtere felici successu, his utere fausto
Sidere, ut in Patriæ laudem crescas; tot & annos
Vive diu felix Monachus quot Zosimus ille
Vixit! Coelipotens mea vota secundet! Aveto!

Decant. anno
De V's h'Is honorib' V's Doctore Is, aDsIt.

LII.

*In tadas neptiales Res. Viri M. Andr. Osiandri Diaconi
Balingensis. D. D. Andreae Cancell.
Tubing. Filij.*

MAGISTER ANDREAS OSIANDER, PASTOR
BALDINGEENSIS WIRTEMBERGIACVS.
SPONSVS.

per ἀνάγρᾱμᾱ.

*Præus irrigas. bonum das. annon bonus es. Adsis!
amplectere & gesta! gravis
eris.*

Ode III. Horatian.

Solvitur acris hiems, solvuntq; nives suas pruinas,
Comas resumunt arbores virentes.
Nunc & ab Austrino Pæan radios reflexit axe,
Et ad plagæ Arctoæ reducit arva,
Ac neq; jam stabulis gaudet pecus, herba nec latébris,
Arator agrum sedulus resumit.
Iam violas pueri per prata legunt; legunt puellæ:
Choros Venus ducit nitente lunâ:
Garrula nunc repetit cantus Philomela: nunc florescunt
Colore multo prata: gaudet omnis:
Nunc sit vel myrto viridante, aut flore, vel corollis
Nitentibus nostrum caput coruscum!
Nunc aut Mœnaliis, hilari aut Floræ sacrandæ sacra!
Hoc tempus illud postulat decorum.
Nam cum prata, feræ, cū singula gaudeant, quid? ipse
Homo sit oris tristis? absit illud!
Pange toros, pete vina, rosas cape, dum licet juventâ:
Ætate vel præsentis morte, vanum est.

Nam

Nam Regum turrets æquè mors pulsat, ac tabernas
Curto tigillo, stramine & creatas.
Omnes una manet vox: estq; adeunda mortis illa
Callis semel. Nullum fugit cruenta
En Proserpina! mista senum ac juvenū funesta flentur
Feretra: quin mox virgines tepescunt,
Nec spem vita fugax homines jubet inchoare lōgam:
Mox hos premet nox, fabulæq; manes.
Ergo dum viridi frueris præstans Juventa vere,
Dum quis, fac ævo consulas Tibique.
Felix ô felix igitur, Vir docte, dum volutas
Hæc! sic & ævo consulis Tibique.
Felix ô felix! dum Veris ad instar hic florescis
Puellulam jungens Tibi pudicam.
Felicem te! dum fluvio *Frius irrigas* sacratio
Mentes: *Bonum* dum *das* per altiolem
Suggestum; teneram dein jungis amore Virginellam,
Ut sit levamentum & columna firma.
Dic? *annon bonus es?* per pulpita verba dia tractas:
Iungis puellam. Dic mihi bonus sis?
Quid quæro multū? bonus es, bonus es, reclamo: quin
Et doctus. at sat sit, ne quid per aurem! (es
Ergo *Adsis* bone Sponse, *Amplere*, perge, Virginellā,
Perge inquit. *Gesta* Tibi sacratam.
Io Hymen Hymenæe fave! Io castior faveto
Lucina, proles fœminina, proles
Mascula quo generentur! Sic & *eris gravis*. Parentem
Dum nominabunt Te, Tuamq; Matrem.
Hospes quisquis eris mecum sic pergito precare!
Salus sit in cunctis novorum amorum!

LIII.

ANNA DOROTHEA MESTLINIA VIRGO TV-
BINGENSIS: SPONSA.

per

per ἀνάγρῃμα.

*Sin ingrati gens, Pietas : assunt. O donum hono-
rabile! Dicolos Tristrophos.*

Varium quam videas judiciorum
Pelagus ! quæ deceant optima corda.
Loquitur de variis turba prophanis data rebus.
Alius ducit honorem bonum opimum :
Alius delicias tollit ad astra :
Alius divitias concelebrat perluculentas.
Pietas alget at. hanc abnuit omnis
Prope. rari siquidem sunt probiores :
Numero vix totidem divitis ac ostia Nili.
Ego duco pietatem bonum opimum.
Ego tollo pietatem super astra.
Egomet divitiis præfero cunctis pietatem.
Pietas quando venit : tunc honor, amplæ
Veniunt divitiæ, gloria magna
Venit. Hæc sint probior quæ petat hic unica sem-
Igitur Lector amans si pietatis : (per-
Igitur hospes amans si pietatis !
Age, canta, pietatem super astra alta vehendo.
Pietas atque genus sin tibi grata :
Speculum en pietatis Tibi clarum.
Pietas atq; genus virginis hujus bene opes sunt.
O honorabile donum ! celebretur!
Celebretur Venus hæc carmine multo !
Lepidam Te nimium, cui pietas dos opulenta est !

LIV.

*Ad Nob. & Ampl. Vir. Dn. Emeranum Lerchenfelde-
rum: Consiliar. Cesar. & Archiducal. Reip. Ratisb.
Camerar. primar. Ad finem. Sponsum.*

Phar

Pharmaca dat Medicus, dat pharmaca plura Poëta,
 Pharmaca dat Mulier: dat quoq; culta Cypris.
 Quatuor hos jungas. Dic, quis præstantior extat?
 Num Medicus, Mulier, numve Poeta, Cypris?
 Corporis est medici varios sanare dolores,
 Et quacunq; potest arte secare malum:
 Tentat & hæc mulier (quid non molitur in orbe
 Fœmina?) sed contra jura sacrata Patrum.
 Sic etenim Canones nostri; sic curia prudens
 Gallica fœmellas sic remove solet.
 Grata Poëta solet quoq; pharmaca promere pressis,
 Hic morbos pellit carmine difficiles.
 Sic etenim Podagram sanari carmine Varro
 Tradidit, est miri res ea prodigii.
 Sic quoq; quando lien pectus conturbat acerbe,
 Carmine conducit pellere triste malum.
 Quin etiam insanos curarunt carmina. Proëti
 Gnatae Melampus sic fuit auxilio.
 Pharmaca culta Cypris quoq; dat: depellit acutos
 Morbos, lætificat corda, animosq; beat.
 Illa melancholicos humores deprimat omnes
 Florida in amplexus quando puella venit.
 Tale olim Thedides Gnato medicamen Achilli
 Persuasit, Venerem jungeret ille sibi.
 Ergo sunt, Medicus, Cypris, doctusq; Poeta,
 Qui pellunt morbos, corporis atque animi.
 Elige jam magni *Lerchenfeldere* senatus
 Magna columna, cui dicere possis. Ave!
 Corporis en tibi sunt vires robustaq; membra.
 Sic igitur dices. Non opus est Medico.
 Carmina si poscis dubium est de tempore: nôsti
 Cum priscis, non sunt tempora nostra eadem.
 Quin quoq; nec Podagra Te, nec vesania vexat.

Necq;

Necq; lien sentit tormina dira modo.
Pharmacon en aliàs præberem carmine, centum
Immo essent, centum si peteres elegos.
Sed frustra est. præbet Cypris en medicamen amicum,
Dum venit in thalamum pulcra puella tuum.
Illa melancholicos humores deprimet omnes,
Illa simul pellet tristitia quæque domu.
Hæc Te sanabit, curabit, teq; beabit,
Hæc erit auxilio fida Marita tibi.
Hæc quoq; mulcebit barbam tibi, frigora pellet,
Hoc tu calfies igne Emerane, satis.
Frustra erit hoc omne quod Curia Gallica scripsit:
In nostras Gallus non habet imperium.
Semovere quidem Galli quandoq; Ioannam,
Curat id Austriaca ast Elisabetha nihil.
Quin fortis contra tibi pharmacon exhibet. Illud
Est in amore pari, confocioq; thoro.
Sed licet hæc medicam se præbeat, haud tamen arce
Pharmacon hoc, quod nunc carmine promo tibi.
Quando melancholicos humores pellere dixi
Concubitum; hoc unum mente tenere stude.
Festina lente! (primus nam acerrimus ictus)
Ne quod nunc sanum est, exitiale fiet.
Huncce modum observa: Sic current tempora vitæ
Longa, erit & thalamo paxq; salusq; tuo.
Pignora quin dabit is Gnatos: si pondere justo
Pignora mensuras. Sed satis esto! Vale.

Anno quo

EMeranVs LerChenfeLterVs aC ELIsabetha
SChæbeLIa fIVnt ConIVges.

Nuptijs

LV.

Nuptijs CL. V. D. Georgij Gumpelsheimeri I.V.D.
& Susanna Martelia.

GEORGIVS GVMPELSHAIMERS
SVSANNA MAERTTELIA.

Sponsus adloquitur Sponsam.

AEstus graves pellam. Ova!

Sponsa respondet.

In terminis suggeram.

*Potest retrogrado modo etiam sic legi. Sugge-
ram in terminis ova. Vel. Ova pellam.
Vel similiter. Pellam graves astus.*

xiv. Iulij Ann. 1623. Argentin.

LVI.

Ad Clariss. Vir. Dn. Iohannem Freitag Medicina Do-
ctorem experientiss. Amicum suum
Pylad. Sponsum

Pallas ad Venerem super reti CL. Dn.
Sponso jacta.

Q Vi Tibi Iane dedit nomen peramabile Freitag
Is Te sic voluit liberum habere virum.
Haecenus & factum. Te vidi liberiosem
Sæpe per omnigenas ire redire vias.
Nunc actum factum est! Libertas transiit omnis!
Iam victus! vincit te tenet alma Venus.
Te tenet alma Venus, laqueoq; animosa ligavit,
Dum monuit peteres vincula Conjugii.

Durum

Durum hoc ! quàm subitò nomen peramabile *Freytag!*
Liberum in obscurum transiit atque abiit !
Liber olim ; laqueo nunc es vinculisq; ligatus
Frey verbum in *Freyen* transiit atque abiit.
Qui sic commutat nomen, transmutat & omen,
Cogitur is Dominæ subditus esse suæ.
Ducitur uxor amans : Libertas venditur omnis :
Novit id & Veterum turba polita virùm,
Dura Venus ! vah dura Venus ! quæ fingere tentas ?
Transverso quæ sic ordine cuncta geris.
Ille mihi - meus en fuerat qui maximus Hercules
Subditus Imperio cogitur esse tuo.
Ille, qui multos multis sanaverat annis,
Illum tu jugulas mente animoque simul.
Sed quid ? vel quorsum vanæ hæc suspiria mentis !
Vincula blanda capis, vincula cara capis.
Vincula, queis tamen esse potest meus ille Machaon
Liber, in amplexu sit licet ille tuus.
Vincula namq; Venus tua sunt modo vincula amoris,
Queis in amore tenes corpora juncta duo.
Hæc teneas firmesq; novo duo pectora amore !
Transverso caveas ordine quæq; geras.
Sic in dulcisonum *Mariae* nomen amarum
Mutetur ! durent gaudia, paxq; thoro !
Des, ut quem voluit *Freytag* vocitarier, & quam
Freytagin voluit *Iova* vocare modo
A curis vacui dulci repleantur amore,
A rixis, damnis liberi ut esse queant !
Liberi at à curis : non prole ast liberi amica :
Sponsa fiet mater : Sponsus adesto Pater !
Annue sic ò magne Deus, sic annue votis !
Duc nos & tandem in libera castra Poli !

Ratisbon. 23. *Februar.* 1621.

Nuptijs

L VII.

Nuptijs CL. Viri Dn. Georgij Sigismundi VVidmanni.

I. V. L. Adfinis sui cum Elisabetha Steyererin.

VIII. Ejd. Novembr. Ann. quo

G.S. VVIDman & E. Steyererla fIVnt ConIVges.

GEORGIVS SIGISMVNDVS WITMANNVS
ELISABETHA STEYERIN.

per ἀνάγραμμα.

Mut. lit. V. in I.

In amore uniti sitis strenui: & sub gyrum agiles,
haud segnes!

Cetera lectus habet.

Cetera textus habet.

S Ed tamen ad ludam porro! Tu Lector & Hospes
Sis fospes! poscunt hæc Martinalia læta
Tempora, qui frontis caperata es, longior absis!
Vos sponse & sponsa μελέωρα μμὰ capeffite vultu
Blādo, blāda decent vos carmina, tempore blādo hoc,
Quo Deus ex superis conjunxit pectora blanda
Vestra adamantino vinclo felicibus ausis.
Ille Deus, Deus ille bonus quoq; fœdera vestra
Pacis flore beet, geniali flore secundet,
Vt Gnati hinc surgant, & qui nascentur ab illis.
Esto, Georgi, esto præstans gnavusq; sagaxq;
Agricola, & fundum cura, dum messis in herba.
Osq; manumq;, pedemq; move, quo Victor abire
Possis, infuda, quo Vir benè magnus & amplius,
Esse queas! pateant sic semper amoris habenæ!
Elisabetha cluit quæ nomine, re quoq; fiat
Elisa! & gracili quæ jam modo corpore, fiat
Beta tumens! hæc sit tibi Mannus, delitiumq;

Hæc

Hæc tibi sit fulcrum, quo te fulcire potessis,
Quum te multarum curarum copia linoquit,
Quum Phœbus requiem, quum poscit Iuno laborem,
Pluria non addo. Tu quisquis Lector & Hospes
Nunc ades, ex calido mecum suspiria corde
Funde, Deumq; roga, nostra hæc ut vota secundet!

LVIII.

AD EOSDEM

*Echo mixta latino germanica ad Nomina
Neozymphor.*

Georg Sigismund Widman.
Elisabeth Steurerin.

ἀνάγραμμα τῆς Γα.

In arrhis Meinens dis beide wolgemut.
Echo. Gar gut.

LIX.

*Ad CL. Vir. Dn. Ioan. Wolfgangum Löscherum. Resp.
Norimbergensis Syndicum: Cognatum.
Sponsum.*

IOANNES GVOLFGANGVS LOESCHERVS IV-
RIS VTRIVSQUE CANDIDATVS, ET PRAEPO-
TENTIS REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
SYNDICVS

ANNA MARIA SCHWINGSHEERLIN.

per ἀνάγραμμα.

Virgo in tua laguncula sponsi sitim bene sedit! Tu sponse

*in gyrum age crines sponse! Quin sedulus rus urge! Ne
sic in urna felici ardore certabitis.*

Hoc ἀνάγραμμα Tibi lectissime Sponse locare
Sic placuit, nodum solvere displicuit.
Ipsemet inquiras hujus quis sit modo nervus
Illius, & nodum solvere rite stude.
Quisque suos nodos solvat, res nobilis hæc est,
Alterius nodos solvere nemo velir.
Sed Tu non solvas nodos anagrammatis. Insta
Et sponsæ nodos solve resolve stude.
Sit modus hic cures, quo rite solutio fiat.
Sponsa fiet mater: sponsus & ipse Pater.
Crede mihi, tunc hæc præclara solutio rythmi est,
Et vires tenuit, sic anagramma suas.
Tu qui stelliferi cœli moderaris habenas,
Des Deus, ut votum hoc pondus habere queat!

ix. August. Ann. 1619.

L X.

*In Comitum CL. Vir. Dn. Christophori Hæflichij,
Reip. Norimb. à secretis.*

CHRISTOPHORVS HOEFLICHIVS NORIMBER-
GENSIS: POETA LAVREATVS.

per ἀνάγραμμα.

*Tu purus flores: Comes Palatij Sacri surgis. En
ero. Itobene!*

G T H R E N I

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

L
JE
P
A
P
J



T H R E N I,

S E V

LAMENTATIONES

JEREMIAE PROPHETAE, ELE.

GIACO CARMINE REDDITAE, PER

Abrahamum Lœscherum: I. V. D.

*PRIMUM AVGVST. CAMER. IMPERIA-
lis Adfessorem post Reipubl. Norimbergensium
Advocatum; & Consiliarium,
celeberrimæ.*

AD ILLVSTRISSIMOS SAXONIAE

Principes, Illustrissimi Principis Ioannis Friderici,

Electoris Saxon. filios scriptæ

N V N C

Publico juri denuo expositæ


Per

JOANNEM-ULRICUM Wolff

à Todtenwarth J. C. Com. Pal. Cæsar. &

Consiliar. Württemberg. Au-

toris Nepotem.



A R G E N T I N Æ

Typis PAULI LEDERTZ.

M. DC. XXVIII.

THE END

AMEN

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

ISAIAS

PROPHETIAE

I
V
P
H
H



AD
ILLUSTRISSIMOS SAXONIAE
PRINCIPES,

*Joannem Fridericum,
Joannem Vuilhelmum,*
ET RELIQUOS ILLUSTRIS-
SIMI PRINCIPIS

Joannis Friderici, &c.

Filios, Dominos suos clementissimos,
Elegia.



Ximij Iuvenes ortu, generala nrotagg.

Magnorum clari nobilitate ducunt.

Si causam petitis (nec n. solet ista negari)

Cur ausim vobis scribere: vester eram.

Quae vestris quondam iussis obnoxia tellus

Paruit, hac infans editus ipse fui.

Quamque gubernastis, dum res fortuna foebat,

Hanc ego natalem sector alumnus humum,

Vixerunt vestra chari ditione parentes:

Mater adhuc superest, casus ab hoste pater.

Præterea si quid didici, quod Musa decoris

Obtulit, in vestris finibus alma dedit.

Hic cæpi primo studiis assuescere ductu,

Et nova inassueto castra subire gradu.

Hic ego profeci, quantum natura sinebat,

Hic ego, quæ poteram munera ferre, tuli.

NVNCVPATORIA.

Hic surgunt agili frondosa cacumina pinus,
Hic abies celsum tollit ad astra caput.
Humor adhaerescit trunco, pinguedine cortex
Liquitur, & lachrymis arbor odora madet.
Has simul abrasit, calidis simul incola furnis
Imposuit, lentam concoquit inde picem.
Pix coit, & validis ardens coalescit in urnis:
Tada crepat, nigram praebet obstipa picem,
Subvolat in celum fumus: quem saepe viator
Cum videt, incensas hic putat esse domos.
Ut propius venit, piceos nigrescere fluxus,
Et longas uri conspicit igne trabes.
Plura recenseri possent, sed plura vetamur
Dicere, ne longis sint odiosa moris.
His igitur, stirps clara ducum, prognatus in oris,
Exegi cursu tempora prima suo.
Aet ubi bis senos atas expleverat annos,
Aptior & studiis visa iuventa fuit:
Cygnae imperij fatis ducentibus urbem,
Illustrisque fui pars quotacumq; schola.
Qua potui, didici, primas Plateanus ad artes,
Vir celebris summa laude, magister erat.
Post hac Arctooas à patre profectus in oras,
Lencorea colui docta Lycaea scholæ.
Has Vester quondam genitor, Dux inclytus, urbes
Rexit: in his vita est suaviter acta mihi.
Vos crescebatis pueri, crescebat & atas,
Spes tamen in quovis maxima semper erat.
Flectebat castos veneranda modestia mores,
In cultu probitas stabat, in ore pudor.
Huc accedebat pietas, exempla parentis
Conspicuis aderant indubitata notis.

EPISTOLA

Huc accedebat study indefessa cupido,
 Et varie rerum cognitionis amor.
 Hac aliquis cernēs, patria gratatur, & aplax
 Fert laudes, laudū signa subesse videt.
 Quaeq; placent alijs, alijsq; probanda videntur,
 Et mihi non uno tum placere modo.
 Iudicio carui: sed tum quoq; vestra sequetur
 Imperia: & vester, fas erat esse, sui.
 Parendi causas animo devinctus habebim,
 Sed natale solum maxima causa fuit.
 O quoties dixi, sub quo sum principe natus,
 Hoc etiam Di dent principe fata feram.
 Hac animo petij. votis assensa voluntas
 Crevit, & hoc etiam tēpore firma sedet.
 Quosq; puer colui, jam succedentibus annis
 In egrior, ne quid dissimuletur, amo.
 Ex hoc specimen, certum do pignus amoris,
 Obsequiaq; notas iste libellus habet.
 Quam vestro faceam (quid enim prohiberet?) honoris
 Hic liber, ut taceam cetera, testis erit.
 In lucem prodit, vobis ex more dicatus,
 Intumuit titulis, nomina vestra gerit.
 Ecquid ubi primos libuit cognoscere & versus,
 Ingratum lecto carmine munus erit?
 Ecquid ubi titulum, facilesq; in fronte tabellas
 Inspicitis, vugax esse putatis opus?
 Parcite, nil timeo: pietas nil tale vereri
 Permittit: melius fidere multa jubent.
 Non animis insunt cautes, nec rustica cuiquam
 Mens riget: hic feritas non habet ulla locum.
 Depulsa est studiis feritas mentesq; Camæna
 Placarunt, animos mollit artis honor.

NUNCUPATORIA.

Cur igitur dubitem, nostræ quin carmina Musæ
 Sint vobis dempto gratæ futura metu?
 Cur autem tristi carmen lachrymabile cantu
 Ediderim, causam querere forte iuvat.
 Hei nimis in promptu causa est: plus illa dolorum
 Suppeditat, fari quam mea lingua queat.
 Ut doleat: rudibus tamen est recitanda Camænis,
 Ad vos, ô juvenes, quæ nocuere, loquar,
 Attingit Mysios urbs non incognita fines,
 Parte caret muris, mœnia parte tenet:
 Hic ubi populeas intexit harundine frondes,
 Spumantesq; vehit cœrulæ Albis aquas.
 Nomen abest urbis? dicam, Mølberga vocatur,
 Nomen ab astructis forsân adeptæ molis.
 Huc meus ex patriis genitor concesserat oris,
 Cum premeret seros ægra senectæ dies.
 Hic mortem soluit placidis occumbere fatis,
 His sua mandarat finibus ossa tegi.
 At cum Saxonie terras, vestrumq; parentem
 Conciteret subito Cæsaris ira metu:
 Cum fremerent Aquilæ, bellumq; potentibus armis
 Inferrent, clades his peregrina daret:
 Sensit & externas Mølberga innoxia vires,
 Hic habuit vester castra suprema parens.
 Iamq; volutatis acies præcesserat armis,
 Cæsareis fuerat per vicius Albis equis.
 Intendunt cursum: quæ Mars rapit efferus, instant.
 Arctatur miles milite, signa volant.
 Saxonie petitur princeps: hunc densa sequuntur
 Agmina: fit strepitus, fit fuga, pugna furit.
 Interea lixæ, temeraria turba sequuntur,
 Et vastant alacri pinguis culta manu.

G S

Quæq;

Cur

EPISTOLA

Quaeq; vident, raptant: qui vult prohibere, necatur:
Qui custodiri vult sua, casus obit.
Hac Mólbergensem venit quoq; pestis in agrum,
Hac consternata pestis in urbe fuit.
Protinus effractas errant impune per aedes,
Incustoditas depopulantur opes.
Obtruncant ciues, fastigia summa domorum
Incendant, horrent funera, flamma furit.
Hinc scelus adiungunt sceleri, violare puellas
Non dubitant: bellum non dubitare facit.
Hec quoties famam, quae casta manere solebat,
Perdidit, à duro milite passa nephas?
Præsentem quoties lugens matrona maritum
Invocat, ut tantum vindicet ille scelus?
Sic igitur dum fœda patrant, dum tecta cremantur,
Ad patrios veniunt tresve duove lares,
Abellunt postes, obstructa repagula frangunt,
Pendula dimoto janua vecte pater.
Irrumpunt bifores obfesso limine valuas,
Pestiferoq; ausu bella, necemq; ferunt.
Corripiunt patrem manibus, plagasq; recentes
Infigunt: palmas hic ferit, ille caput.
Hic vibrat rigidum, sed inexorabilis, ense,
Sulphureis telum glandibus ille quatit.
Tormentis cruciant, rabideq; pecunia clamant:
Dum clamant, ictu verbera crebra sonant.
Quid faceret genitor, fugeret? grande uxor etas
Id vetuit: trepidos impedit illa pedes.
Irrueret telis? dururq; repelleret hostem?
Heu nunquam miles sueverat arma sequi.
Substitit illachrymans, & nil nisi, parcite, dixit:
Dat quaecunq; tenet, sed dare multa nequit.

As

NUNCUPATORIA.

At neq₃ contenti cedunt hac sorte latrones :
Det, quæcunq₃ potest munera, plura petunt.
His etiam miserum suspendere partibus audent,
Quas appellari lingua pudica vetat.
In sublime ferunt subito, subitoq₃ relapsum
Illidunt humili fune cadente solo.
Sed neq₃ sic auri plus extorquere dabatur :
Plus aberat : totum, quod fuit, antè dedit.
Atq₃ ita seminecem vita languenter relinquunt,
Is gemit, atq₃ agrè viscera læsa movet.
Actus erat mensis, moritur, rapuere dolores.
Quo factò, labi visa repente domus.
Sic igitur dilecte pater, sic fata tulerunt?
Sic te cogebant tristia fata mori?
Nec licuit vitare malum, vitare cohortes?
An furor immitti tantus in hoste fuit?
Tutari nec te poteram? nec voce suprema
Solari? sic te sustulit hostis atrox?
Cur non succurri? pulchroq₃ interritus ausu
Objeci rapidis & mea membra viris?
Aut nostro certè seruat^{us} ab ense Valeres,
Aut socius pulchræ mortis & ipse forom.
Sed quia longinquis aberam diversus in oris,
Heu pater in superas visce recepte domos.
Hæc igitur causa est, tristi cur tristia versu
Ediderim, cur hoc tempore mæsta canam.
Cum caderet genitor violenti vulnere Martis,
Et mors effectum surripuisset aëum :
Cum fratres perimi ferro penetrante viderem,
Opprimerent viduam cum mala multa domum :
Ap^{ta} requirebam tanti solatia luctus,
Leniri si qua posset ab arte dolor.

EPISTOLA

*At placuit sacri scriptum lachrymabile vatis,
Innumeras patriæ quo canit ille vices.
Quo reges queritur captos, altamq; theatris
Vastari Solymam tristis ubiq; dolet.
Pœnarum recitat causas, fontemq; malorum
Monstrat: Et hoc, inquit, tot mala fonte fluunt.
Quo consolatur miseros, rebusq; paratam,
Sed bene placato numine, spondet opem.
Hoc ego perlecto sic confirmabar, ut agra
Non ita perpetuum pectoris esset onus.
Vos etiam juvenes abducto patre doletis,
Quæ mala vobiscum Saxonis ora dolet.
Dij dent, ut tanti veniat medicina doloris:
Dij dent, ut lecto vate recedat onus.
Hæc si presenti coner præstare libello,
Solandi vestri præbita causa fuit.
Vt tamen efficiam, quod me voluisse videtis,
Annuat ætherea summus ab arce pater.*

Vestræ Celsitudini

Deditissimus

Abrahamus Lœscherus.

THRENI JEREMIAE.

Cum genus Abramidum duris succūberet armis,
Subderet hostili cum sua colla iugo :
Cum ruerent Solymæ convulsis mœnibus arces,
Victor & antiquas hostis haberet opes :
Flebat, & ereptos patriæ miseratus honores,
Hæc vates mœsto pectore dicta dabat.
Qua serie clades memorem ? qua parte ruinas
Ordiam ? everfas quo loquar ore domos ?
Quod sequar auspiciū ? quō rerum fine quiescam ?
Obruor, & numero territa lingua stupet.
Hei quibus ingentes Solymæ cecidere ruinis ?
Quo fato tantæ concidit urbis honor ?
Vasta jacet, deserta jacet, jacet orba trophæis,
Quæ modò culta fuit, quæ populosa fuit.
Pendula semirutis nutant fastigia templis,
Non urbs, vastata sed locus urbis adest.
Rarus inornatas habitator possidet ædes.
Quid rarus ? nemo diruta tecta tenet.
Pauca sub everfis restant vestigia muris,
Deseruit patrios civica turba lares.
Est viduæ similis, chari quæ fata mariti
Flet memor, & gemitu solvitur, orba viro.
Mœsta sepulchrali sequitur quæ funera ritu,
Et cremat erectis pallida membra focis.
Quæ redit, utq; redit, media procumbit in aula,
Nilq; nisi lachrymans, Vir meus, inquit, ubi est ?
Quæ modò regalem regnis numerosa coronam
Gestavit, populis quæ modò jura dedit :

Quæq;

us.

T H R E N I

Quæq; triumphatum regina cohercuit orbem,
 Et princeps summa nobilitate fuit:
 Nunc fert indictis servilia dona tributis,
 Et timet indignos, facta ministra, duces.
 Quid petat auxilii? quare confidat, ut horror
 Cedat ab afflicto corpore, mente tremor?
 Ut mala compresso possint mitescere luctu,
 Dic mihi, quisquis ades, quid petat auxilii?
 Mœsta gemit, gemit ic̄ta malis, flet saucia curis,
 Ploratu reprimi tot mala posse putat.
 Cumq; soporiferæ venientia munera noctis
 Carpit in assueto bestia quæq; specu:
 Cum vespertino revehuntur sidera motu,
 Illustrique micant astra reducta polo:
 Pervigil hæc lachrymas nocturnis ejicit horis,
 Latifluo roseas hæc rigat imbri genas.
 Vix quoq; gutta potest properanti cedere guttæ,
 Successum lachrymæ fluminis instar habent.
 Hoc etiam rerum cursu minuuntur amici,
 Et retinet proprias fors onerosa vices,
 Mitia blandiloquæ defunt solatia vocis:
 Qui curas studeat demere, nullus adest.
 Et modò constantes quos ipsa vocabat amicos,
 Hac videt infidos sorte referre pedes.
 Adde, quòd afflictam spernunt, odioq; fatigant,
 Proxima qui fidei nunc quoq; jura tenent.
 Perfidiosa struunt, geminant hac parte labores,
 Sunt hostes, hostes nec tamen esse pudet.
 Quid petat auxilii, qua re confidat, ut horror
 Cedat ab afflicto corpore, mente tremor?
 Tot sunt pœnarum species, causæq; doloris:
 Tot mala, tot casus intulit una dies:

Ve

I E R E M I A E.

Vt nihil invenias, aliqua ratione saluent
Quod ferat, aut cursu prosperiore juvet.
Ami sit patrios dudum gens prisca penates,
Deseruit patrii mœnia culta soli.
Quæq; domi leves telluri insindere sulcos,
Et rigua assuevit condere semen humo:
Hei mihi barbaricas rastris mollire novales
Cogitur, ingratos vomere scindit agros.
Servit in exilio: quæ sunt jucunda, reliquit:
Servit, at exilium gratia nulla levat.
Incolit immites (quid conqueror) advena terras,
Ah quoties patriæ, dicit, amica vale.
Inclyta progenies procul hinc abducta tenetur:
Perdedit imperium, perdidit omne decus.
Quam petit à duro, non impetrat, hoste quietem:
Quam petit, externo non datur orbe salus.
Ah quid ab immani conceditur hoste quietis?
Eheu longinquo quæ datur orbe salus?
Est misera, hæc brevis est series, & summa laborum,
Hoc omnis tegitur nomine caussa mali.
Hanc miserè cruciant, miserè cruciata laborat,
Cura laborantem nec tamen ulla levat.
Hujus in exitium vigilant, qui sanguine gaudent,
Et mactatrices cæde lavare manus:
Tristis ubiq; sedet species & forma ruinæ,
Et dat crudeles luctus ubiq; notas.
Rura pruinosas lugent inarata per herbas,
Obliquant steriles jugera mœsta sinus.
Demittunt tenues virgulta palustria ramos,
Contrahit arentes arbor opaca comas.
Sylvarum decedit honos, frondesq; labascunt,
Nec fundunt molles tristia prata rosas.

Ecce

T H R E N I

Ecce viæ lugent, spaciisq; patentibus amplas
 Dant rimas. rem vis scire? viator abest.
 Ad sacros nemo solenni munere ritus
 Commeat: en, aras muscus & herba tegit.
 En, via subjectis riget incalcata lapillis,
 Nec tenet impressos tramite trita gradus.
 Hospes abest, miseram cunctatur adire Sionem.
 Nec, bene quod novit, carpere pergit iter.
 Negligitur pietas: nemo, qui sacra frequentet,
 Advenit: indicto munere templa vacant.
 Stant portæ, sed stare neges: non claustra tenentur
 Vecte, nec æquali pondere valua coit.
 Aggemit antiquo spoliatus honore sacerdos,
 Liba refulgenti nec cremat ulla foco.
 Horret in abjectis facies lachrymosa puellis,
 Turpis & immundo squalor in ore sedet.
 Ipsa dolet, quidni doleat? dant fata dolorum
 Materiam. lachrymas tempora mœsta cient.
 Summa tenent hostes, nec summa tenere juvaret,
 Ni facerent posito crimina multa metu.
 Quicquid agunt, fortuna iuvat: feliciter armis
 Utuntur: pugnent, pugna secunda cadit.
 Consilium capiant, placitis fortuna favebit:
 Addubitent, dubiis fors dabit ipsa viam.
 Aggrediantur opus, quamvis grave, mollius omni
 Spe fiet: statuam, quod statuere, ferent.
 Quicquid obest, abigunt: quodcunq; optabile, servant.
 Primas perpetuò sorte vel arte tenent.
 Quid tamen insidiæ, quidve indulgentia sortis
 Prodesset, fieri ni Deus ista sinat?
 Is solet alterno mortalia flectere cursu:
 Is premit, & rursus quos premit, iste levat.

Is,

I E R E M I A E.

Is, cum nequitia, quum facta nephanda vigerent,
Puniit irata facta nephanda manu.

Is quoque Iudææ numerosa piacula gentis
Vidit: & ut vidit, talia damna dedit.

Vtq; est impatiens scelerum, crimenq; coerces,
Afflixit duras, durus & ipse, plagas.

Hinc superant hostes: hic fons, hæc cladis origo
Hinc ea, quæ nollet, fertq; doletq; Sion.

Ecce triumphales insonantia pignora currus
Præcedunt, vinculis brachia parva rigent.

Hostis inaudito clamorosa per agmina fastu
Subsequitur: strictis ensibus arma sonant.

Erepta est miseræ majestas tota Sioni:
Concidit ingenuum, quod fuit antè, decus.

Mundities periit, periit laudata venustas,
Dignus inornato cessit ab ore color.

Quæ tamen ista fuit miseræ surrepta Sioni
Majestas? nitido quis decor ore fuit?

Hei de principibus loquimur, qui gloria regni,
Et laus natalis summa fuere solis.

Quàm piget amissi monumenta referre nitoris?
Ut tamen hæc pigeat dicere, flere juyet.

Fortè quid acciderit, rogitas, qua sorte fruantur
Hi, quos præcipuos diximus esse duces?

Hei mihi, qui fuerant, non sunt: vis omnis adempta
En, nullum toto corpore robur habent. (est:

Sicut harenosis aries macilentus in agris
Errat, & ambiguis passibus arva legit:

Quærit in irriguis viridantia pascua pratis:
Sed miser ut quærat, pascua nulla videt.

Hinc vitæ dubius, viridi procumbit in ulua:
Aut sequitur tardum, tardior ipse, gregem.

Sic

T H R E N I

Sic quoque Iudaicæ præstantia lumina terræ,
 Sic quibus ingenui principis omen ineſt:
 Deficiunt animis, & inertî pectore languent:
 Tutari nullus ſeque ſuosque poteſt.
 Imbelles abeunt: ſequitur, qui cogere laſſos
 Non ceſſat, ſtimulos ſævus abactor habet.
 Hoc igitur Solymæ luctu præſentia jungunt
 Præteritis, æqua ſingula parte notant.
 Priſca recordantur: quæ ſint poſſeſſa, revolvunt:
 Qua nunc utantur conditione, vident.
 Subducta eſt ratio, revocant primordia rerum,
 Et recolunt triſti fata priora ſtatu.
 Si tamen auſcultes, non pauca periſſe videbis:
 Et quibus exciderint, commoda multa ſcies.
 Si regnum ſpectes, non floruit auctius ullum:
 Si vires, regio fortior ecqua fuit?
 Divitias quæris? quam res cumulatioꝝ oram
 Ditavit? quæ plus terra reliquit opum?
 Inſpiciatur honos, nemo plus naſtus honorum:
 Bella refer, bellis gloria parta fuit.
 Hæc Solymæ repetunt memores, hæc corde volutant:
 Heu bona, quæ pereunt, quàm meminiffe grave
 Hæc uſu Solymis veniunt, hoc vertitur æſtu (eſt?)
 Vrbs vetus: iccirco, parcite, jure dolet.
 Supprimitur populus, crudelibus occupat armis,
 Plebsq; peregrino victa ſub hoſte jacet.
 Adde, quòd in tanto, pereunt ubi ſingula, fluctu,
 Nullus, præſidio qui velit eſſe, venit.
 Geſtit, & elato repetit ludibria plauſu,
 Et cumulat triſtes hoſtica turba minas.
 Inclyta votivis deridet ſabbata pompis,
 Cumque ſuis odit feſta peracta ſacris.

Ecce-

I E R E M I A E.

Fecerunt Solymæ, quod non fecisse decebat:

Patrarunt, leges quod vetuere, nefas.

Vrbs scelerata fuit, vitiis se polluit amens:

Peccavit, factis improba sæpe fuit.

Non monitis potuit, nec vi perculsa domari:

Perstitit indignum sæpius orsa nefas.

Hinc inflammati grassata est pœna Tonantis:

Quæq; parum timuit libera, capta timet.

Hinc infinitos toties vexata tumultus

Sustinet, hinc bellis irrequieta perit.

Et velut impuræ mulier contagia labis

Contegit, & vitii conscia, sola manet:

Sic ea communi vitæ discedit ab usu,

Sic hominum cœtus mota pudore, fugit.

Dum fortuna staret, cunctis immota valeret.

Eventu cum fors indubitata foret:

Cultores aderant, aderant qui cuncta probarent:

Omnia perpetui plena favoris erant.

At, tum præsidio validam quicumq; colebat,

Hoc cur infirmam tempore spernat, habet.

Quid causæ est? obscœna vident: obscœna perosi

Mutantur, causam dedecus esse putant.

Ipsa nec obsequium, nec fata priora requirens

Desidet: attonito pectore mœsta sedet.

Avertit vultus, altum gemebunda dolorem

Comprimit, obscœnam scilicet esse pudet.

Sed pudeat, vitiosa patent, tunicæq; fluentes

Implicitum nequeunt dissimulare lutum:

Illita conspicuo sordent velamina cœno,

Et riget aspersis fimbria spurca notis.

Nec maculæ defunt pedibus, vestigia labem

Ostendunt: turpe est, squalida quicquid habet.

Talia

T H R E N I

Talia nec metuit, fieri nec posse putabat :
Omnia sed rerum pondera finis agit.
Tristia non timuit, foelicibus integra fatis :
At nunc, quæ nunquam credidit, acta dolet.
Est tamen, ut fatear, nimio nimis obruta luctu,
Excessit solitas fors inimica vices.
Aspice continuos gemitus, meditare ruinas :
Et dices, Nullum res habet ista modum.
Præterea placidæ defunt solatia vocis :
Et qua non fas est parte carere, caret.
Crescentes nemo conatur pellere curas :
Qui melius jubeat fidere, nullus adest :
Summe pater, te lassâ precor, tua numina supplex
Imploro. incassum numina tanta petam?
Qui largirie opes, & opes quas nuggerie auferre
Aspice, qua rerum conditione premar.
Aspice, quot casus, quot sim perpeffa labores,
Si potes, optatam (sed potes) affer opem.
Ecce triumphator fastu tumet hostis, & ardens
Insidiis urget, mente superbit atrox.
Abstulit è medio, quæcunq; operosa fuerunt,
Sacrilega rapiens optima quæq; manu.
Abstulit, hæc summa est, hæc bellica præda latronis.
Quid, quod agat, superest? abstulit omne decus,
Ardua pestifero subiit donaria gressu :
Hei subiit sacras barbara turba domos.
Non precibus potuit, non vi, non lege teneri:
Ingressa est sacras barbara turba domos.
Quos tua divinis arcent oracula dictis,
Hi subiere tuas, me prohibente, domos.
Alta prophanatis cæpere sacraria templis,
Ex adyto antiquum vi rapuere decus.

Hinc

I E R E M I A E.

Hinc gemit, & crebris singultibus incola mœret,
 Hinc mendicatos excipit ore cibos.
 Addicit, quæcunq; tenet: quæ chara tuetur,
 Vendit, ut expenso comparet ære dapes:
 Vt vitam recreet, vacuum jejunus ut alvum
 Expleat, & diram pellat ab ore famem.
 Sæpe quis armillas, & avita monilia promit,
 Et quibus indigeat, colligit inde cibos.
 Qui metas rerum, qui contemplaris euntes
 Stellarum teretes, conditor alme, globos:
 Huc adhibe æternos, quibus imples omnia, vultus,
 Et cernes, quæ sim, quove sub hoste premar.
 Aspice paulisper, quàm sim despecta, videbis:
 Me nihil en toto vilius orbe manet.
 Hac vos ô quicunq; itis cursuq; citato,
 Hanc quæ conficies hospita turba viam:
 Siste parum gressus, & tot simul inspicite clades:
 Inspice, susceptum post repetetur iter.
 Quis poterit nostro similis dolor esse dolori?
 Quod sentis, referas: tuta referre potest.
 Quam liceat nostræ cladem componere cladi?
 Quæ superet curas effera cura meas?
 Dic, bene si dicas, vinci tot damna negabis,
 Et par in toto non erit orbe dolor.
 Vera patent per se, veris contraria cedunt,
 Ni certam sit vox inficiata fidem.
 Ipse Deus damnoq; fuit, causamq; malorum
 Præbuit: afflictam perdidit ipse Deus.
 Vt semel in subitos incanduit ira furores,
 Prorupitq; tenax versus ad arma furor:
 Me miseram, quantas accepi saucia clades?
 Quanta laceffito numine pœna fuit?

Non

T H R E N I

Non igitur labi gravius res ulla putetur,
 Quàm quæ cœlesti concidit ieta manu.
 Nec dolor est alius gravior, nec durius ullum
 Est damnum, supera quàm quod ab arce venit.
 Lædat homo, tristici; ferox det vulnera ferro:
 Alter erit, medicæ qui ferat artis opem.
 At quis ab infesto speret revalescere casu,
 Quem tot suppliciis afficit ipse Deus?
 Is populatrices alto de vertice flammæ
 Misit, ut illapsæ membra perusta doment.
 Iussit inextinctis ignem splendescere flammis,
 Et mea sulphureis æstibus ossa sequi.
 Hinc miseram torrent, & inertia viscera lambunt,
 Hinc perdunt, validum corpore quicquid erat.
 Arentes rutilo moriuntur ab igne medullæ,
 Ingenitum sicco pectore robur ab. t.
 Depascunt imas æterna incendia vires,
 Carptaq; semusto viscera corde coquunt.
 Is quoq; cum medios graderer secura per agros,
 Et ferrem properos ampla per arva pedes:
 Obtulit obliquis contraria retia plantis,
 Obtenditq; graves ampla per arva plagas.
 Inviçto notos emuniit obice colles,
 Obsessumq; omni tramite clausit iter.
 Quid facerem? cessi, vinclis pes captus inhæsit,
 Quæ tamen implicitum non tenuere pedem.
 Protinus in tergum vinclis elisa revolvor,
 Et retrò subitis cursibus acta feror.
 Quinetiam rapidis vastam me reddidit armis,
 Hostili prædæ civica tecta dedit.
 Dissolvit prisca rupto fundamine sedes,
 Et desolatas diruit igne domos.

Hinc

I E R E M I A E.

Hinc gemitus renovant curæ, curæq; remordent,
Iustaq; perpetui causa doloris adest.

Is juga constringens peccatis foeta remisit,
Cervici infelix indidit ipse jugum.

Nec mora, certatim veniunt, collumq; pererrant
Crimina, cervicem plurima monstra tenent.

Conscensu superant humeros, conferta vagantur:
Quaq; libet, serpunt: qua data porta, ruunt.

Iam mea jam pœnis cœlestibus excita vivunt,
Crimina, supplicii pondere sæva vigent.

Hactenus ut mollem potui traducere vitam,
Sic potui foedum dissimulare scelus:

Vtque fuit placido fortuna benignior usu,
Sic mens errores texit opaca suos.

Iam, quia pœna feris in cruduit horrida plagis,
Et Deus ultrices admovet ipse manus:

Quæ latuere, patent: quæ sunt commissa, recordor,
Et vigilat summis excita noxa malis.

Iam fera profiliunt subito peccata tumultu,
Et feriunt sævo conscia cœda metu.

Iam stimulis agitant, tormentis pectora tundunt,
Iam premit infelix sarcina dura caput.

Me mea destituit pauefacto corpore virtus:
Quod superest, dempto robore, languor habet.

Eripuit vires Dominus: languescere nervos
Iussit, & extremam membra subire necem.

His me subjecit manibus quæ surgere lapsum,
Firmariq; aliqua non patiantur ope.

Quos habui heroas fortissima pectora bellis,
Abstulit immiti conditione Deus.

Qui mea præsidio debebant regna tueri,
Intempestiva succubere manu.

Eripuit



T H R E N I

Eripuit eeleri clarissima lumina fato.

Quid loquar? eripuit lumina clara Deus.

Hoc nunc quid prohibet caput objectare periclis?

Quid prohibet nudam fata suprema sequi?

Nuda feror. cur nuda feror? quæ causa doloris?

Eheu, principibus sum spol. ata viris.

Perdita sum, periire duces, periire Monarchæ:

Quassor, ut incerta quæ fluit arte ratis.

Vt mala continuo grassentur libera cursu,

Orbatur fido principe terra gemens.

At superesse duces, validos superesse Monarchas,

Res est, qua possit fracta redire salus.

Quin velut ad celebres latè vocat agmina pompas,

Agmina crudeli sanguinolenta manu:

Vt mea scutigero mactetur ab hoste juvenus,

Detur ut inmeritæ cæsa juvena neci.

Tot mala, tot clades, tanto discrimina luctu

Intulit ultoris dextra corusca Dei.

Vt subigit dulces udopede vinitor uvas,

Vt torculari spumea musta premit:

Sic infelicis languentia corpora Iudæ

Pressit, & irata contudit ossa manu.

Hinc ita singultus itero, lachrymisq; liquefcunt

Pectora, terribili pectora lassa metu.

Hinc deploratis redeunt suspiria rebus,

Et curis ardens fert alimenta dolor.

Intima perpetuo languescunt viscera luctu,

Intima tabificum serpit in ossa malum.

Irrigat humentes temerarius imber ocellos,

Aemula pallentes verberat unda genas.

Larga volutatis labuntur flumina guttis,

Omnia perpetuo flumine membra madent.

Hæc

I E R E M I A E.

Hæc ita cur fiant, rogitas? heu nota per orbem
 Expediet brevibus territa lingua modis.
 Consolator abest, abiit spes certa salutis:
 Nil nisi luctus adest, nil nisi terror adest.
 Qui vires animo, membris reparare vigorem
 Debuit, & placidam ferre salutis opem:
 Is procul est, procul est: ne sublever ægra, recessit:
 Hinc infinitis fluctibus acta gemo.
 Acta gemo, gemitus sed rejicit ille dolentis.
 Cum precor, invisas abnuit ille preces.
 Abducta est soboles, soboles mea capta tenetur:
 Quos charos habui, perfidus hostis habet.
 Iamq; peregrinas discunt mea pignora leges:
 Quosq; sinu fovi, terra maligna premit.
 Hei cur sunt hostis, quæ sunt speciosa paratu?
 Cur quod in imperio floruit, hostis habet?
 Expandit misero trepidantia brachia vultu,
 Flebilis expandit brachia mœsta Sion.
 Ecce Sion tenditq; manus, tristesq; lacertos
 Exerit, exertas cur movet illa manus?
 Pofcit opem, petit auxilium, cupit ægra levare.
 Dum tremula expendit brachia, quærit opem.
 Sed procul est, qui damna levet, qui voce dolores
 Diluat, & curas spe meliore fuget.
 Languentes dubitant dubiis in rebus amici:
 Quilibet, & subeat ne qua pericla, cavet.
 Hinc frustra imbelles tollit lachrymosa lacertos,
 Fundit & infelix irrita vota Sion.
 Nam Deus hostiles jussit succedere turbas,
 Ut cingant fines dux Iacobe tuos.
 Ut vastent duræ confinia læta cohortes,
 Excivit mandans agmina tetra Deus.

H

Iamq;

æc

T H R E N I

Iamq; pharetratis incunt certamina turbis,
 Sævit, & in pugnas densa caterva ruit.
 Horrida letiferis intendunt spicula telis,
 Evertunt viridi jugera culta solo.
 Arma sonant, fremit hostis atrox, fera prælia crescunt
 Et fervent multis bella cruenta malis.
 Sic divexantur Solymæ, Martisq; tumultus
 Sustinet urbs, crudo milite cincta dolet.
 Immoritur damnis, turbatur ab hoste feroci,
 Ut mulier vitiis sordida facta suis.
 Iustus, & omnipotens Deus est moderator Olympi:
 Dic mihi, quis justum quis neget esse Deum?
 Ejus in arbitrio nostræ stant jura salutis,
 Is meritum veri judicis explet opus.
 Is, quòd in assuetas graviori pondere pœnas
 Exigit, hoc etiam nomine justus erit.
 Divinas etenim sprevi temeraria leges,
 Tantus inattoniti pectoris error erat.
 Quæ Deus æthereas dederat mandata per auras,
 Non colui, mandet cum tamen ista coli.
 Hinc immorigeræ damnosa injuria mentis
 Plectitur, hinc tanto pondere pœna premit.
 Vos, quibus Eois subsistere contigit oris:
 Vos, quibus occiduis contigit esse locis:
 Quiq; gravem nebulis, pluviumq; habitatis ad Austrum
 Qui Boreæ gelido fertis in orbe nives:
 Vos, quæso, populi nostros audite dolores,
 Effera præsentis damna videte mali.
 En juvenum generosa cohors, fortissima pubes
 Clauditur obscuro carcere, clausa perit
 Quaq; sagittiferas possent gestare pharetras,
 Hac dudum gestant turpia vincla manu.

Detinet

Y E R E M I A E.

Detinet innocuas custodia firma puellas,
Squalida virgineum contegit umbra decus.

Quæq; prius tenues suevit percurrere telas,
Hæc jam difficili compede vincta jacet.

His ego, (nam quid obest?) jam pridem perdita rebus,
Promissam petii terq; quaterque fidem.

Instabiles petii, cum sic vexarer, amicos,
Ut quam quisq; queat mittere, mittat opem.

Iam monui, varios augent quia damna dolores,
Auxiliatrices poscere damna manus.

Hic (loquar an fileam: sed quis malefacta sileret?)
Destituit querulas perfida turba preces.

Destituit miseram, quis crederet? improba fugit,
Seq; exoptatam ferre negavit opem.

Sic bene sperantem spes imperfecta fefellit,
Luserunt vanas irrita vota preces.

Hinc igitur sævis exerceor undiq; fatis,
Hinc in continuis versor, ut antè, malis.

Sævit acerba fames, vacuisq; cibaria mensis
Absunt: dumq; absunt, sævit acerba fames.

Sæpe per incultos jacuere cadavera campos,
Grassanti passim quæ periere fame.

Deserit exanimis nativa potentia mystas,
Deserit annosos vita caduca senes.

Tabuit erepto virtus evanida succo,
Obruit infelix tabida membra lues.

Mendicant miseri: nec mendicare puderet,
Effera si tali cederet arte fames.

Et tamen, ut recreent aliquo præcordia pastu,
Pastum luctifono quilibet ore petit.

Quando erit, ut tantos videas Deus alte labores?
An tua sperandum non habet ira modum?

T H R E N I

Aspice contractam præceps angustia mentem
 Quam premat, ex nimio provenit ista metu.
 Aspice, quos animo cogar perferre dolores,
 Dum pavida in dubium pectora terror agit.
 Languida turbati solvuntur viscera ventris,
 Tabescunt nimio membra soluta metu.
 Corda volutatis saliunt exterrita fibris,
 Ingeminant tremulas irrequieta vices.
 Hæc simul eveniunt, gravibus quia perdita curis
 Torqueor, & damnis, sed sine fine, premor,
 Quo mea luctifono deflectam lumina vultu,
 Ut videam nullis aucta pericla malis?
 Arma foris, foris arma fremunt, furit hostis in armis,
 Fulmineoq; graves instruit ense manus.
 Vasta per insuetos ponit tentoria fines,
 Et fera crudeli pectore bella gerit.
 Hic mea sanguineo procumbit vulnere pubes,
 Hic perit ad diram rapta juvena necem.
 Mors inopina domi fatales horret in iras,
 Et tot jam misera funera strage dedit.
 Sic, quod militiæ superest, mors invida tollit:
 Sic vires socias pestis & hostis habent.
 Quo mea luctifono deflectam lumina vultu,
 Ut videam nullis aucta pericla malis?
 Audierant multi gemitus, multiq; querelas
 Audierant: sed qui talia curet, abest.
 Obyolvunt surdas votis resonantibus aures:
 Avertunt oculos: cum precor, ora movent.
 Sic, qui soletur, qui tristia vulnera sanet,
 Mitiget alloquio qui mala, nullus adest.
 Hostis ut hostis agit: quæ sunt asperrima, ridet:
 Gestit, & elata gaudia mente fovet.

Tollit

I E R E M I A E.

Tollit inurbano resonantia júbila fastu,
 Dum fluit immani fracta carina noto.
 Hinc nihil omittit studii, nil linquit inausum,
 Ut creet exaucto plura pericla metu.
 Tu Deus hostili reboantia júbila plausu
 Efficis, ingenti me quia mole premis.
 Tu Deus insolito geminas nova gaudia fastu,
 Dum mea continuo pignora Marte necas.
 Ergo age festino veniat Sol aureus ortu,
 Expediat roseos lucifer altus equos.
 Ingruat ille dies, subita qui strage ruinas
 Afferat, ærumnas qui sine fine vehat.
 Quo videam sævos succumbere cladibus hostes,
 Et mala, sed simili conditione pati.
 Ut risu abstineant, veritique exempla furorem
 Compescant, ne vis libera semper eat.
 Iamque citas cursu prævertite sidera noctes:
 Sol propera, citius surgat ut ista dies.
 At tu summe Deus, rerum qui pondera flectis,
 Qui, quod in occiduo vertitur orbe, vides:
 Quàm sese scelerum latè contagia pandant,
 Aspice: quanta patrent crimina, summa patrante.
 Hæc in conspectum veniant, deformia dices:
 Persistant oculi, quæ videantur, erunt.
 Hinc cape tela pater, celeres jaculare sagittas,
 Sentiat iratas impia turba manus.
 Fac, quæ passa diu fuerim, patiantur & hostes:
 Censuram subeant utraq; facta parem.
 Adfer ad immites tormenta tenacia pœnas,
 Suppliciis absit, debet abesse, modus.
 AEquentur nostris hostilia damna periclis:
 Quæq; tuli, pariter colla superba ferant.

T H R E N I

En mea pugnaci ceciderunt pignora ferro,
 Hostiles orbent & fera bella nurus.
 Sola vagor, nullam teneo miserabilis urbem,
 Solus & excisis mœnibus hostis eat.
 En mea vastatis sterilefcunt jugera campis,
 Vertat & hostiles æmula pestis agros.
 Deniq; quos cepi propter peccata dolores,
 Accipiat simili perfida turba malo.
 Heu qualis modò sum, quantum tremebunda fatigor?
 Quàm peccatorum pœnitet? ora probant.
 Ora madent lachrymis, animus formidine torpet:
 Nec pars est, quæ non mœreat: ipsa gemo.
 Sic superis ergo placuit? sic iste volebat
 Qui cœlo solus præsidet, astra regit?
 Huc iræ tendunt? sic exardescere fas est?
 Sic nil, quo fervens ira residat, habet?
 Sic atrox clausam nebulis fœdare Sionem,
 Hac deformatam perdere mole juvat?
 Quid stupeo? quorsum labor? quod mente vagatur
 Iudicium? quo se more querela tenet?
 Mutatum decus est: i nunc agnosce Sionem:
 Commendet formam, cui nova forma placet.
 Quæ nitidam nuper faciem, vultusq; gerebat
 Eximios, quo nunc fusca colore placet?
 E cœlo hic color est, veteres nigredine vultus
 Infecit superæ rexque paterque domus.
 Quæque diu viguit, celebremq; ad sidera famam
 Extulit, & claro nomine nota fuit:
 In præceps lapsa est, fastigia summa reliquit:
 Et quia prostrata est gloria, serpit humi.
 Serpit humi, Deus ille deum projecit, & arcto
 Seclusit spacio, quod fuit, antè fuit.

Occidit

I E R E M I A E.

Occidit Abramidum sobolos, amisit honorem,

Perdidit antiquum dispoliata decus.

Quæ se calcandam cœlesti apponere plantæ,

Divino solita est quæ dare scamna pedi:

Protrita est gravius, rerum fuit immemor altis

Rex cœli, tum cum sævior ira fuit.

Absorpsit, fregitque domos, tentoria vertit,

In quibus aut statio, seu casa fracta stetit.

Absumpsit rutilus spaciosa palatta flammis,

Hausit & evulsis curva theatra tholis.

Rara per everfas restant vestigia sedes,

Vix adsunt viridi signa videnda solo.

Dic, ubi sunt ædes, junctis ubi mœnibus urbs cœta

Dic mihi, quas retines Iacobis ora domos?

Omnia fiderei tulit inclementia Patris:

Quicquid erat, latè flamma voravit atrox.

Ardua collapsis fregit munimina fulcris,

Culmina florifero reddidit æqua solo.

Corripuit portas, & propugnacula Iudæ:

Eruit, horrendas intulit igne faces.

Sic neq; sunt firmis circumdata mœnia vallis,

Fossa nec inclusas aggere munit aquas.

Quæq; diu steterant sævis imperdita bellis,

En gravis ætherei perculit ira patris.

Sed graviora dedit, generosa insignia regni:

Abstulit, imperii jusque decusque tulit.

Stravit humi regnum, vetuit decernere reges,

Imperii certas noluit esse vices.

Principibus fasces, & munia laudis ademit:

Nec quenquam voluit, quo prius, ore legi.

Quiq; modò oblatos venerandus obibat honores,

Iam sibi detracto vivit honore miser.

T H R E N I

Creverat ad summos plebs Israelis honores :
 Et quibus augeri debuit, aucta fuit.
 Dum regnum tenuit, patrios defendere fines,
 Et potuit quasvis frangere Marte minas.
 Utq; solet valido superare pericula cornu
 Taurus, & hanc dubiis quærere rebus opem :
 Sic velut obtento pepulit discrimina cornu,
 Et victrix lato gens pia Marte fuit.
 At nunc horrendo celebrata potentia lapsu
 Concidit : erepta est vis ea, cessit honor.
 Fregit honorati validissima robora regni,
 Fregit & auxilii cornua firma Deus.
 Auxiliatricem non misit ab æthere dextram :
 Cum pugnax refugis hostis adesset equis.
 Non vetuit clades, non arma cohercuit armis,
 Cum passim clades impia bella darent.
 Irruerant hostes, densum convenerat agmen :
 Obviat, & turmas Israelita trahit.
 Vincamus, dixit, facile est superare prophanos :
 Infesti cocunt, Israelita fugit.
 Miratur fugiens : ne quid mirere, fugavit
 Ipse Deus, timidos impulit ipse duces.
 Obruit Abramidas, vasto velut alta rotatu
 Flamma relucentes cum tenet igne domos.
 Cum subigit rutilos circumq; supraq; penates,
 Et rapta in gyrum, tecta caduca vorat.
 Intendit fortem manibus librantibus arcum,
 Non secus, ac mœstum qui parat, hostis, opus.
 Attraxit lentos æquo curvamine nervos,
 Flexit & obnixo cornua dura genu.
 Imposuit celeres pharetra præbente sagittas,
 Laxavitq; agili claustra recurva manu.

Nec

BEREMIAE.

Nec mora, tela volant, & inevitata feruntur:
 Quemque volunt, tangunt: quem tetigere, necant.
 Insequitur strages: stipatur funere funus,
 Obruit invisum mors inopina genus.
 Instat, & alterno crepitantia picula jactu
 Ventilat infestæ dextra parata neci.
 Incumbit, perimit, telis obnubilat auram:
 Quo fugias? jaculis obvia dextra vetat.
 Non opus hortatu: quod adest, mucrone trucidat:
 Quodq; frui vita conspicit, ense ferit.
 Vasta cruentatis impingit vulnera membris,
 Et leti mœstum, quod struit, implet opus.
 Quæq; placent oculis; aut quæ placuere Sioni,
 Perdidi: exitio, quæ viguere, dedit.
 Ut fremit ignis edax, piceo cum volvitur æstu,
 Eructatque agiles inde vel inde globos.
 Cum revomit rutilas fumanti turbine flammæ,
 Et rotat elisam nigra favilla picem.
 Sic Deus irarum totas effudit habenas,
 Sicq; Sionæas obruit ipse domos.
 Ipse fuit, quod & esse solet, quod & esse laborat:
 Hostis: & ut credas, confer utrumq; scies.
 Hostis agit prædas: & vi, quod sponte negatur,
 Raptat: inoffensas milite carpit opes.
 Et Deus absorpsit victam domuitq; Sionem,
 Absorptam plangens Israelita dolet.
 Hostis in excelsas acta testudine turre
 Scandit, & elisas voluit in ima trabes.
 Culmina convellit, superat fastigia scalis,
 Et custoditum rumpere perstat opus.
 Et Deus antiquas ruptis laquearibus arces
 Excidit, antiquas diruit igne domos.

H. 5. Impulit

T H R E N I

Impulit indignis penetralia prisca ruinis,
 Haussit & infractis atria longa tholis.
 Iamq; labant postes, ferro tabulata cavantur,
 Destituunt cæcas limina rupta fores.
 Iuncturisq; trabes abeunt, tignisq; fathiscit
 Tegmen, & in præceps culmina prima cadunt.
 Inunc, & Dominum rebus favisse putato:
 Inunc, atq; hostem, qui fuit, esse nega.
 Quo se munierant cives, urbemque tueri
 Quæsierant, totum diruit ipse decus.
 Disiecit moles, & fundamenta politis
 Emovit saxis, mœnia fregit atrox.
 Hinc & mœsticiæ multum, multumq; Sioni
 Mœroris peperit, dum tulit ista Deus.
 Ut subigit tenui factas è cespite sedes,
 Vertit ut hortensem rustica dextra casam:
 Sic profligatis fregit tentoria tectis;
 Sic disturbavit septa vetusta Deus.
 Sacra volutavit, delubria frequentia flammis
 Obruit: heu quantas ignibus haussit opes?
 Tot simul expensis operum, tantisq; priorum
 Sumptibus è medio templa parata tulit.
 Quæ subiere patres, & adorea liba per aram
 Sternentes, rutilis percoluere focis:
 Corrupti pater omnipotens, abolevit honores,
 Subsiluit summas flamma sequuta trabes.
 En, quæ relliquiæ, quæ nunc monumenta supersint,
 Et simul annosa quid sit ab æde super.
 Quicquid id est, dolor est: armis tentoria vertit,
 Vertit in eximio tecta locata situ.
 Exegit ferias, solennia festa Sionis
 Iamdudum pulsus conticuere sacris.

Mutarunt

Y E R E M I A E.

Mutarunt priscos secura oblivia ritus:

Eex abiit, pulsa sabbata lege silent.

Cessarunt dempto mysteria pristina cultu:

Thure carent aræ, victima nulla cadit.

Tunc etiam reges, & sceptrâ potentia sperni

Non vetuit, sperni cum tamen ista vetet:

Turba sacerdotum probris affecta dolebat,

Nec dolor iratum moverat iste Deum.

Deseruit sacræ votiva altaria sedis,

Quæ genus à primis iussa dicarat avis.

En modò barbaricis quæ stabat operta tapetis,

Sordida nunc tetro visitur ara situ.

Quæ fruticum baccas, & thurea dona cremabat,

Iam superinstriato pulvere tecta jacet.

Quisquis es, aspicias: cladem meditare, dolebis:

Hæc tamen, ah nescis, intulit ipse Deus.

Ipse Deus vulsis effracta sacraria claustris

Polluit, & rabido sivit ab hoste capi.

In quibus oblatae jacuere volumina legis,

Fultaq; cœlesti constitit arca throno:

In quibus arborei viridantia vimina sceptri,

Postaq; ab annosis virga jacebat avis:

In quibus æthereæ mellita cibaria mannae,

Reliquiasq; sacri continuere cibi:

Hæc Deus avulsis violata sacraria claustris

Polluit. hæc rabido sivit ab hoste capi.

Tradidit hostili violanda palatia turbæ.

Murorum tractus iussit ab hoste rapi.

Mœnia prostravit, manibusq; rapacibus arces:

Objecit: totum cui daret, hostis erat.

Is sacra multas clamavit in ædè per horas,

Non secus, ac festo turba prophana die.



T H R E N I

Non secus, ac celeres cum dant convivium pompas
 Lætaq; clamoris plausibus ora strepunt.
 Decrevit fortes Dominus corrumpere muros,
 Decrevit pinguis vertere culta soli.
 Igne Sioneos statuit vastare penates,
 Communiq; altas perdere clade domos:
 Hinc mensuratis deprendit singula rebus,
 Ostendit certas regula ducta notas.
 Quid faciat, præsto est, claris imitamina dantur
 Indiciis: quid agat, regula ducta monet.
 Quam nec ab arte faber, nec dextra fabrilis ab ictu
 Errat, cum minio collita ligna rubent:
 Cum prælonga abies, rigidisq; securibus ilex
 Cæditur, & latè trabs polienda gemit:
 Tam non vastando quas circumscripserat oras
 Erravit, vindex cœpit ut esse, Deus.
 Mensus erat spaciis, spaciis everterat urbem:
 Dilatum nil est, urfit avara manus.
 Nec consumendi fecit manus horrida finem,
 Instittit, & tactas est populata domos.
 In ferrum flammæq; ruit, rerumq; ruinas
 Traxit, ab incepto nec revocata fuit.
 Spectantur clades, en propugnacula mœrent,
 En desolata defit in urbe decus.
 Eruta dispersis lugent pomœria saxi,
 Mœnia finitimo procubuerunt solo.
 Defluxere suis recidiua cacumina muris,
 Abstulit antiquum vasta ruina decus.
 Subfedere imæ demisso vertice portæ,
 Vix humiles alta conspiciuntur humo.
 Quæq; immobilibus tetigerunt sidera pinnis,
 Quæ modò territum sustinuerunt caput:

Has

I E R E M I A E.

Has improvise tellus absorpsit hiata,
 Hei tantas atra fauce recondat opes !
 Apparent turpi vix summa cacumina cœno.
 Apparent avido culmina merfa sinu.
 Fregit inoffensos nodoso robore vectes,
 Amovit teretes dextra stupenda seras.
 Fortia disruptis cecidere repagula claustris.
 Quo facto, patulæ contremuere fores.
 Rex apud infidas subiit loca tristia gentes :
 Dividitur patria, regna aliena colit,
 Qui princeps fuerat, nomenq; locumq; tueri
 Principis, aut patria sede manere nequit.
 Vivit, ubi legem veteri proponere ritu
 Non datur, aut dempto sacra docere metu.
 Vivit, ubi mores non fas, nec jura tueri,
 Inclyta nec patrum ferre statuta licet.
 Vivit, ubi nulla est pietas, ubi crimina gliscunt,
 Et ferus, assidue quo premat, hostis habet.
 Falluntur vates, oracula nulla prophetæ
 Accipiunt, nemo fata futura docet.
 Nulla securæ monstrantur signa quietis,
 Prodigiiis nemo visa secunda refert,
 Hinc luget suppressa Sion, dubiisq; vagatur
 Passibus, hinc tristi vulnere tacta gemit.
 Utq; gubernanti spoliata carina magistro
 Nutat, & in scopulos, in fera saxa ruit :
 Sic incerta Sion, mœstisq; exterrita fatis
 Errat, & ambiguos fertq; refertq; gradus.
 Errat, & immensos tristi sub corde dolores
 Servat : & ut servet, plurima causa subest.
 Ecce sedet, sedet ecce senum miserabilis ordo,
 Fœdaq; cœnosa corpora versat humo.

Pro-

T H R E N I

Prostrati tellure jacent, tellure morantur,
 Quos jubet obsequio digna senecta coli.
 Dumque jacent, pereunt, superest spes nulla salutis:
 Spes abiit, miseri succubere senes.
 En qui debebant fati melioribus uti,
 Et placida seros claudere forte dies:
 Heu heu maturis albentia tempora canis.
 Conspergunt fœdo pulvere, mente dolent:
 Qui modò promissam Tyrio gestamine vestem,
 Qui dignum Tyria veste tulere decus:
 Iam subdunt turpi titubantia viscera sacco,
 Iam tegeti duræ stragula juncta gerunt.
 Submittunt graciles frontem, vultusq; puellæ:
 Submittit pronum cernuaturba caput.
 Sic cum præcipites infestant gramina Cauri,
 Languentes pendent, decutit aura, rosæ,
 Hinc glomero largos lachrymis fluitantibus imbres,
 Hinc ferit humeutes gutta caduca genas.
 Nec prior est acies: oculi, non fallor, hebescunt,
 Caligant crebra lumina tersa manu.
 Aeterni cruciant penitissima membra dolores,
 Effusum jecur est, pectora cura premit.
 Saucia letifero turbantur viscera luctu,
 Intereunt gravibus corda subacta malis.
 Hæc ita cur fiant, si quis roget, ille videndo:
 Nil videt, is nitido lumina sole petit.
 Aspice, quæ series, quæ sint discrimina rerum:
 Et dices, meritò dum gemis ista, gemis.
 Aspice, quæ populum clades, quæ cura fatiget:
 Et dices, causam, perge, doloris habes.
 En qui porrectas sugunt à matre papillas,
 Urbis in attritis oppetiere viis.

Prima

Y E R E M I A E.

Prima sed in primis soboles contabuit annis,
 Dum nequit insueto corpore ferre famem.
 Ut rosa duranti moribunda laborat ab æstu,
 Ut perit in sterili languida planta solo :
 Cum nulli teneris veniunt radicibus imbres,
 Cum sitit, ætheræas stirpsq; requirit aquas:
 Cum vellit tremulum radix evanida caulem,
 Et flos materia deficiente cadit :
 Sic perit infantum cœtus, sic tempore primo
 Occidit haud ullis turba resecta cibus.
 Graniferi defunt cerealia munera farris :
 Fallit ager segetem, fallit & arva seges.
 Invida surreptas minuit penuria fruges,
 Horrida luctifona crescit in urbe fames.
 Nulla renascentes alternænt vina racemi,
 Vva nec elatis pendet anucta comis.
 Destituit nudas sterilis vindemia vites,
 Dulcescunt nullo musta refusa lacu.
 Inde carent dapibus, miserisq; alimenta negantur,
 Hinc fera luctifona crescit in urbe fames.
 Sæpe quis esuriens, matrem clamore fatigat.
 Nec semel, hem nusquam fercula, dicit, habes?
 Sæpe puer sitiens, sitientia guttura torquet,
 Et clamat, siccum quod levet, ecquid adest?
 Heu quid in hoc luctu versis quid rebus adesset?
 Quam tibi quam genitrix anxia ferret opem?
 Ipsa quod accipiat, nec habet, nec habere Tyranni
 Permittunt, duram sustinet ipsa famem.
 Hinc perit infantum ser es, hinc tempore primo
 Occidit haud ullis turba resecta cibus.
 Ut cadit, infesto letalia vulnera tactu
 Qui tenet, ut subito verberare vita fugit :

CUM

T H R E N I

Cum fera subtili defigitur hasta cerebro,
 Aut manus objectum perforat ense latus:
 Sic dum maternis pueri refoventur in ulnis,
 Mœsta repentino fata dolore ferunt.
 Ah urbs infelix, quibus hæc discrimina verbis
 Expediam? subitas quo loquar ore vices?
 Qualia luctifonos ducent exordia versus?
 Quo referam tristi carmina scripta manu?
 Quis superest portus? quo naufraga transtra reduces?
 Quæ spes, quo rerum cardine finis adest?
 Cui te tam misero fas est componere cursu?
 Ecquis erit, similis qui queat esse tibi?
 Quo ve loco poteris, dum fors grassatur, haberi?
 Aut alium tali vivere sorte putas?
 Tuq; Sionææ regio mœstissima rupis,
 Cui par in tantis luctibus esse voles?
 Quo potero simili tantos æquare dolores?
 An vox, quæ cruciant, exprimet ulla vices?
 Vt sic ingentes aliquo solamine curas,
 Vt mala felici conditione levem.
 Sed dolor assumit vires, augetur in horas,
 Vt mare, cum vastas æquore volvit aquas.
 Vt mare, cum volucris turbata volumina vento
 Tollit, & assultu littora cana ferit.
 Cum scopulos operit, vastaq; aspergine montes
 Verberat, & tumido gurgite saxa rapit.
 Hinc, quia perpetuis crescunt incendia flammis,
 Ecquid erit, quo te posse valere putes?
 Quis tollet tristes aliquo medicamine morbos?
 Pæoniam superet cum rude vulnus opem?
 Sed quid in hoc egere tui discrimine vates?
 Qui verè addicta mente fuere tui.

Ecquid!

I E R E M I A E.

Ecquid in officio mansere? dolisq; remotis
 Quod docuit, cecinit turba diserta melos.
 Heu heu deceptam portarunt monstra per urbem,
 Clamantes facilem talia velle Deum.
 Prodigiiis texere dolos, portenta tulerunt,
 Impia falsiloquis verba dedere sonis.
 Finxerunt turpi mendacia callida fuce,
 Mollia depositis accinuere minis.
 Non tua mordaci carpere piacula lingua,
 Voce nec admissum præmonuere nephas,
 Nulla sequutura cecinere pericula cladis,
 Taxarunt acri crimina nulla sono.
 Non objurgarunt, moniti discedite cives:
 Res gravis est, aliqua lædere fraude Deum.
 Hæc mala sunt: abeant, vitiis absistite cives,
 Displicet æterno noxia culpa patri.
 Discite, quid deceat, sacræ moderamina legis
 Noscite, primævi quam coluere patres.
 Hæc si fecissent, forsan sine clade maneres:
 Non captiva fores, nec premerere Sion.
 Nunc quia blandiloquo retulerunt somnia cantu,
 Et populi crescens occulere scelus:
 Cogere imperium, patriosq; relinquere fines:
 Exul in ignota vivere discis humo.
 Qui tua per notos adeunt confinia calles,
 Hasq; petunt gressu prætereunte vias:
 Effera præcipiti collidunt brachia motu,
 Ingeminant festo gaudia plena gradu.
 Concipiunt agiles plausu crepitante lacertos,
 Et pulsant resonas turba proterva manus.
 Stridula vipereis intendunt sibila linguis,
 Intendunt turpi probra nephanda joco.

Distor-

T H R E N I

Distorquent patulas halanti gutture fauces,
 Laxaque distortis faucibus ora movent.
Vibrant impexos facili conamine crines,
 Disjiciunt passas bisve semelve comas.
Hinc & inurbano quatiunt capita horrida nutu:
 Quæque tegunt diro pectore, fronte probant.
Exagitant Solymas, Solymas hoc tempore rident,
 Multiplicique ferunt tristia probra sono.
Euge quid hoc? ubi turris adest? ubi mœnia restant?
 Hæc illa est cunctis urbs celebrata plagis?
Illa est, quæ bifidum pulcherrima dicta per orbem,
 Floruit, & celebri nomine tanta fuit?
Cujus ad extremos ibant præconia fines,
 Crescebatque alto gloria digna gradu?
Cujus ob insignem nuper vicinia famam,
 Gestitit? & tanto læta decore fuit?
Scilicet hæc reges domuit, regnisque potita est,
 Scilicet ingenti robore sceptrâ tulit.
Aspicit immensas fastu temeraria clades,
 Mordacesq; iterat turba nephanda jocos.
Ora venenato diducit hiantia rictu,
 Inferta pandit pervia labra manu.
Spurca relaxatis mittit convicia buccis,
 Insultat duris durior ipsa malis.
Edit inornato crudelia sibila cantu,
 Ut facit, incautum vipera passa pedem.
Ut coluber, vastum spiris ingentibus orbem
 Cum legit, & Stygio virus ab ore vomit.
Denudant scabros alta rubigine dentes,
 Ut canis, in rabiem quem furor egit atrox.
Qui ferit insano trepidantia viscera rictu,
 Morfaque letiferam spargit in ossa lucem.

Turpia

I E R E M I A E.

Turpia multiplici cumulant ludibria fastu,
 Et tollunt hilari júbila festa sono:
 Hem desolatae vires exhausimus urbis:
 Hem jacet, exitio debuit illa dari.
 Expetit ingentes victoria parta triumphos,
 Expetit unanimi gaudia festa choro.
 Hæc est illa dies, tandem lux illa refulsit:
 Vicimus: exorta est: celsa trophæa probant.
 Fata secundarunt cursus, invenimus horam,
 Qua decus æternum Martia bella darent.
 Vidimus hostiles ferro succumbere turbas,
 Vidimus infestum Marte perire gregem.
 Ah quid inexhausto jactas opprobria fastu?
 Non satis est reliquo pondere inæsta pati?
 Sic ad inauditas veniant convicia clades?
 Quodq; grave est per se, lingua superba gravet?
 An tibi præsidio tantum valuisse videris,
 Ut quæ fecisti, te duce facta putes?
 Falleris, est alia major gravitate potestas.
 Falleris, ex alio tot mala fonte fluunt.
 Ipse Deus, rex ipse poli, rex inclytus orbis,
 Si nescis, tanti turbinis author erat.
 Quæ sibi proposuit, fecit: quid plura necesse est
 Dicere? tot clades intulit ipse Deus.
 Verba reservatis quæ fecerat antè periclis,
 Nunc infinito pondere pondus habent.
 Quæ prius exacto dici curaverat ævo,
 Heu serò eventus vera fuisse probat.
 Cuncta simul rapuit, pavidæ miserescere gentis
 Noluit: heu quantum est, parcere nolle Deum?
 Subvertit regnum: quæq; impenetrabilis hosti
 Semper erat, sævo diruit hoste plagam.

Auxit

T H R E N I

Auxit honorificis contraria regna triumphis,
 Fovit in æternos barbara castra metus.
Crevit in adversas inimica potentia vires,
 Et se vix omni mole superba capit.
Hinc ita lætantur, de te lætantur, & ampla
 Spe vivunt, & spem vincere sorte student.
At qui reliquias patriæ, patriæq; ruinas
 Inspiciunt, ululant, attonitiq; dolent.
Nil nisi triste sonant: abigunt, quæ læta putantur,
 Et taciti luctu conveniente gemunt.
Quid facerent aliud? præsens fortuna dolores
 Postulat, assiduè vult mala tanta gemi.
Læta decent lætos: duro qui tempore inæret,
 Inærendo, quod obest, tollere posse putat.
Res etiam, quascunq; vident, hortantur, ut adsint:
 Et, quod natura non didicere, gemant.
Sæpe quis aspiciens ædes, dum tegmine pendent,
 Flete unà, dicit, flete dolore pari.
Vos etiam muri, clamant, intendite luctus,
 Grandia laxato saxa ferite sinu.
Quique ruinosa præsentia tecta Sionis,
 Cingitis, inculto flete Siona solo.
Nec dolor impediatur, lachrymis perfundite malas,
 Cum venit orta dies, cum cadit acta dies.
Vt vagus undanti torrens exæstuat alveo,
 Cum fera diffusis imbribus auget hyems:
Cum ferit acclives spumanti flumine ripas,
 Limosasq; alto gurgite versat aquas:
Sic vos præcipiti lachrymas effundite rivo,
 Sic lachrymæ tumidi fluminis instar, eant.
Nulla adsit requies, nullum præscribite finem,
 Pupula stillantes irriget uda genas.

Surgite,

I E R E M I A E.

Surgite, iucundos cura vigilante sopores
Rumpite, nec tota stertere nocte iuuet.
Cum ferrugineas revehit nox atra quadrigas,
Surgite: clamores tollite, ferte preces.
Cumque ferunt primos redeuntia sidera cursus,
Vos date cœlesti debita vota Deo.
Crebra pavefacti suspiria fundite cordis,
Fundite, ceu liquidam, quam vehit amnis, aquam.
Tollite singultus, gemitu miscete querelas,
Sint tristes lingua vociferante soni.
Tundite liventes planctu resonante lacertos:
Mœsticiæ signum, credite, planctus erit.
Tendite complicitas ad lucida sidera palmas,
Et mala cœlesti dicite vestra Deo.
Quæ mala sidereo fas est recitare Tonanti?
Dicemus supero quæve pericla patri?
Ecce volutatis inhumata cadavera membris,
Hic aut hic dempto mortis honore jacent.
En hærent turpi puerilia corpora cœno,
Quæ propter longam succubere famem.
Pressa tumescenti quàm turgent ora palato?
Ora salutare non habuere cibos.
Quàm pallent vacuis exanguia corpora venis?
Hei nihil in promptu, quo reparentur, erat.
Inunc, & supero quæ sint recitanda Tonanti,
Exige, dum medio funera rure jacent.
At tu summe pater, qua tandem mole labores
Aggeris? an certis finibus ira caret?
Quæ data pœnarum requies? quibus omnia metis
Sistuntur? præceps sic tenet arma furor?
Non dabis, ut tumidas clementior aura procellas,
Corrigat? & miti flamine puppis eat?

Non

I E R E M I A E.

In triviis sparsim puerique senesque jacebant,
 Cæsa pruinofam turba premebat humum.
 Abstulit infantes audacia cæca puellas,
 Virgineumque truci concidit ense decus.
 Quid facis hostis atrox? pudor est, qui lege puellas
 Liberet, ac subitam mandet abesse necem.
 Improbe quas vinculis audes constringere palmas,
 Hæ modò fœmineam continuere colum.
 Qui bellis habiles, firmique ætate fuerunt,
 Hostili juvenes occubuerunt manu.
 Tu Deus, in tristes ubi mens excanduit iras,
 Fixisti duræ vulnera cæca necis.
 Tu Deus, immani jugulatur ut agna macello,
 Mactasti rigida corpora nostra manu.
 Funere merfisti, celeres quicunque per auras
 Spirant, & vitæ munera corde trahunt.
 En nisi reliquias hominum, fœmenque reserves,
 Occidat, immenso quicquid in orbe viget.
 Exortes erimus vitæ, rapiemur ad Orcum,
 Ni cessent diræ te cohibente manus.
 Armigeras placuit verbis accire cohortes,
 Ut solet ad lautas turba coire dapes.
 Ut solet ad pompam notos accerfere cœtus,
 Sponsalis celebrat qui pia festa thori:
 Sic ad inexpletam cædem, turpesque rapinas
 Traxisti obscœnos in mea regna greges.
 Venerunt, quid plura querar? venire nephando
 Agmine, finitimas diripere plagas.
 Imperium duris quod jam defueverat armis
 Verterunt, resides vi domuere viros.
 Nunc quoq; quis superat fato, quis ab hoste remāsit?
 Fugit inoptatam pars quotacunque necem?

Quis

T H R E N I

Non veniet, summos blanda qui voce dolores
 Temperat, aut placidam spondeat ultor opem?
 Aspice, quem tristi studeas excindere visu,
 Quod tua jam toties presserit ira caput.
 Non hic est Babylon, nec jam Babylona fatigas:
 Quicquid agit, miseram clade Siona premis.
 Non subigis tumidam bellisq; minisq; Damascum,
 Heu Solymas isto turbine vertis opes.
 Hunc vexas populum, qui te comitante, per hostes
 Ivit, & hoc patrios condidit orbe lares.
 Qui tua voti vo coluit mysteria ritu,
 Obtulit & justis sacra litata focis.
 Hic igitur proprios genitrix avidissima foetus
 Devoret? infelix pignora mater edat?
 Ius superet malefuada fames, puerosq; trucidet
 Mater, & humanis expleat ora cibus?
 An quos palmares vix jam formavit in artus
 Natura, astructo fas sit in igne coqui?
 Fas sit honoratos gladiis occumbere mystas?
 Dum mediis adyti sedibus extra cremant?
 Cui generi, quorum vitæ tua dextra pepercit?
 Qui ve repentinam non subiere necem?
 Ecqua cruentatis effugit ab hostibus ætas?
 Liber ab infandis cædibus ecquis erat?
 Omnibus ex æquo nocuit vis illa: nec extat,
 Elapsos tulerit qui sine clade pedes.
 Ut notus, arboreos rapido spiramine saltus
 Cum petit, & validis flatibus arva quatit:
 Non trahit enodes ornos, quercusq; rel nquit:
 Sed trahit eliso stipite, quicquid obest.
 Sic Deus unanimi rapuit mortalia fato:
 Sic rapuit, vitæ munera quicquid habet.

T H R E N I

Quis tamen à fato superet? quis ab hoste maneret,
 Dum furor incensum movit ad arma Deum?
 Cum Deus intentat mortem, telisq; trifulcis
 Urget, ab interitu quem superesse putes?
 Quos ego maternis alui complexa sub ulnis,
 Heu quibus in cunas ubera plena dedi:
 Hos quoque stillanti fixos mucrone peremit
 Hostis, & innocuo sanguine tinxit humum.
 Hinc igitur, quia facta patent, quia caussa malorum
 Nota mihi est, querulo vivit ab ore dolor.
 Exitii seriem video, primordia cladis
 Assequor: hinc luctus caussa perennis adest.
 Ille ego, qui stragem novi, patriæque ruinas,
 (Quas alii nullo tempore nosse volunt)
 Ille ego conficior curis, gemituque perenni
 Solvor, & assiduis fletibus ora rigo.
 Intueor pavido tormenta miserrima vultu,
 Cogor inaudito damna videre metu.
 Non secus, ac rigidæ subdit qui colla securi,
 Instrumenta videt sanguinolenta necis.
 Quive cruentatis laniatur corpora plagis,
 Horrentes ferulas aspicit, ore stupet.
 Ille volubilibus qui templa micantia stellis
 Ordinât, & refluxis æquora fundat aquis:
 Ille tenebrôsæ me duxit in antra cavernæ,
 Me velut immeritam carcere clausit ovem.
 Lumen abest latebris, hinc lux fugitiva recessit,
 Obruit æternum nox inamœna chaos.
 Me commutato punivit atrocius ictu,
 Pœna nec in reliquis fontibus æqua fuit.
 Non interponit requiem, nec verbera demit,
 Castigatrices fertq; refertq; manus.

Nulla

I E R E M I A E.

Nulla flagelliferis capit intervalla lacertis,
 Nulla, sed assiduo verberare membra ferit.
 Corruptæ vires animæ, rapuitque vigorem,
 Marcescunt alæ viscera tacta situ.
 Pellis inornatis obduruit albida callis,
 Sævitur in annosam pestis acerba cutem.
 Dissilit in partes, cadit inveterata, nec usquam
 Permanet: ut flamma pannus obustus, abit.
 Inde senescenti tenues cum carne lacertos
 Obruit, & fortes perdidit ille thoros.
 Perdidit exangues nervis coëuntibus armos,
 Fixit in oppositum tela retorta latus.
 Arcta volutatis contrivit & ossa medullis,
 Mobilium pressit languida crura pedum.
 Condidit immani circumdata mœnia septo,
 Muniit invictis antra cavata feris.
 Hic mihi per vastas posita est custodia fauces,
 Hic regor, hoc atro cogor inesse specu.
 Ante fores mœsto suffusi felle labores,
 Lentaque servato limine cura cubat.
 Hæc ita vestibuli sedem, portasque tuentur,
 Vt fugiant celeri gaudia cuncta gradu.
 Hæc ita pertentant vario præcordia luctu,
 Vt levet ingentes nulla medela merus.
 Me circumclusit tenebris, suspectus Olympi
 Non patet: in tenebris versor, opaca colo.
 Confictor latebris, & amici luminis expers,
 Alligor, ut fatis qui cecidere suis.
 Instituit firmos, inimica cubilia, muros,
 Instituit lato scrupæa tecta sinu.
 Hic ita contineor, vastoque reservor hiatu,
 Sic premor, ut nulla parte redire queam.

T H R E N I

Compeditibus strinxit, laqueisque cohercuit artus,
 Torfit in arreptos vincula dura pedes.
 Hæc interceptum supera ad convexa reverti
 Vi prohibent, claustris hæc mea crura ligant.
 Spe quoque destituor, nec me sperare volentem
 Approbat, in certas qui movet astra vices.
 Sæpe resultantem ferio clamoribus auram,
 Et veneror tristi numina iusta sono.
 Hinc, quæ perpetui sunt argumenta doloris,
 Perficit inceptas sæpe querela preces.
 Ille sed aversas votis impervius aures
 Obturat, vultu tristia signa refert.
 Omnia diverso perhibet contraria nutu,
 Abjicit auditas terque quaterque preces.
 Arte fabrefactas in opaco carcere cautes
 Iunxit, & artificii saxa polita manu.
 Tophus abest, nullas exeso pumice sedes
 Struxit, ut optatæ spes foret ulla fugæ.
 Atra sed æternæ cingunt penetralia rupes,
 Lævius & illæso prominet ore filex.
 Sic etiam fossis, altaque voragine calles
 Sepsit, ut haud aliquo detur abire gradu.
 Sicut in umbroso per amica silentia saltu
 Expectat trepidos ursa cruenta greges:
 Aut velut incautas animosa læna bidentes
 Lustrat, ut infestam sublevet hirta famem:
 Sic quoque me tenera Deus expectavit in umbra,
 Sic acri cœptum mente notavit iter.
 Sic Deus insidias posuit, nactusque nocendi
 Tempora, quod voluit, protinus egit opus.
 Ne tamen impavido legerem vestigia gressu,
 Aut caperem cursu præcipitante fugam:

Flexit

I E R E M I A E.

Flexit iter, subito turbatos obice calles
 Impediit, refugum ne via certa ferat.
 Hic dum crura labant, & diverticula quærunt,
 Dum retinet lassos semita curva pedes:
 Me capit, & virides rapit in diversa per agros:
 Me necat, & roseo membra cruore rigat.
 Quid, quòd nigranti polluta cadavera tabo
 Dissecat, & ruptis partibus ossa terit?
 Pectora dividuis minuit stillantia stultis?
 Nuda cruentata viscera spargit humo?
 Sic perii, perii: sic me feriente peremit
 Ense, recurrentis qui ciet astra poli.
 Curuavit volucrum manibus luctantibus arcum,
 Intendit duro cornua flexa genu.
 Utq; dedit sonitus, in me defixa pependit:
 Me petiit voti facta sagitta potens.
 Laxavit teretis retinacula clausa pharetræ,
 Extulit inserta spicula torva manu.
 Quid memorem subitros recto conamine nisus?
 Me tetigit, jaculis vulnus inane dedit.
 Nec tantum superæ rugosa volumina pellis
 Strinxit, & extremo rasit in orbe cutem.
 Sed rectos habili trajecit harundine renes,
 Attigit avulsis faucibus corda pilis.
 Huc tamen accedunt stolidæ ludibria plebis,
 Mordacesque augent tristia fata joci.
 Sic furit insulso væcors insania risu,
 Docta venenatos condere felle sales.
 Sic fertur rapido ventosa superbia cursu,
 Quæ facit, ut durum durius esset onus.
 Fabula sum populo, lasciva poemata cantant:
 Quoque mihi illudat, nobile vulgus habet.

T H R E N I

Intentant diros vulgato carmine morsus,
 Et grave sub patulo gutture virus habent.
 Sic onus urget onus, numerosa pericula crescunt:
 Sic me curarum non dolor unus habet.
 Sed quibus utamur dapibus, quo munere vivam,
 Quidve bibam, rogitas? accipe, pauca loquar.
 Dulcia destituunt epulas, fatiamur acerbis:
 Fert injucundos noxia mensa cibos.
 Horrida letiferos vitiant absynthia potus,
 Et sistunt longam pocula mœsta sitim.
 Hac subigor rerum serie, fatique maligna
 Vi premor: hic status est, hac ego sorte fruor.
 Spes abit: ipse Deus, ne qua sustenter, ademit,
 Materiemque novi suggerit ipse mali.
 Desierant lachrymæ, positoque resederat ictu
 Lar guor, & exempto cesserat ira metu.
 Nec mora, sedato cœpi requiescere luctu,
 Et melior, dixi, res mea forsan erit.
 Dumque nihil timeo, dum spes ignara vagatur,
 Et suspensa aliquam mens sibi spondet opem:
 Ecce capit lapidem, saxumque immane lacertis
 Librat, & ingenti labra fragore ferit.
 Heu mea labra ferit, niveosque albedine dentes
 Atterit: attritis dentibus ora patent.
 Me per harenarum cumulos, cinerisque volutat,
 Mersat & impuro corpora tracta luto.
 Pax animæ periit, rabies revocata dolorum,
 Et vetus horribiles rettulit ira minas.
 Læta recesserunt, fugit sperata voluptas,
 Consumpsit faustos vita beata dies.
 Obrepunt priscae taciturna oblivia sortis,
 Læta cadunt, mœsto pectore cura sedet.

O quo-

I E R E M I A E.

O quoties dixi, jam spes ablata salutis,
 Iam nihil offenso numine vota valent,
 Illa dies aderit nunquam, nec oborta redibit,
 Qua possim supero rursus adesse patri.
 Aspice res miseras, patrios advertere vultus
 Ne pigeat: curas ex me, frange jugum.
 Eja age poenarum satis est, satis esse malorum
 Arbitror, insidias tollere tempus erit.
 En deplorata nemo succurrere causæ
 Sustinet, arbitrio iudicis acta cadit.
 En sine præsidio, puppis sine remige fertur:
 Qui regat antennas per mare, nullus adest.
 Lurida campestri potavi absynthia succo,
 Quam mordax pigro gutture potus erat?
 Horrida mortiferi suberant contagia fellis:
 Hæc quoque ne clades deforet ulla, bibi:
 Hæc memor aspicias, moveat te cura gementis
 Si plagas non vis tollere, tolle minas.
 Sed memor aspicias gemitus, ea cura movebit,
 Pacatoque levis pectore fervor erit.
 Hæc sibi persuadet mea mens, hæc credula dictat,
 Et mihi mansuetum te fore, semper ait.
 Quid faciam? credo, quas mens prædicere sortes
 Nititur, assensu non renuente probo.
 Hæc docilis meditor, bene custodita reservo,
 Quæ monet, ac aliquid laudis habere puto.
 Hinc spes certa viget, melius confidere disco:
 Nescio quid subitæ corda salutis habent.
 Nil ita depressum duco, fractumve procellis,
 Quod nequeas prisco ritè locare statu.
 Non etenim Domini pietas exhausta refrixit,
 Quin multum restet, quo relevetur inops.

T H R E N I

Nec sortita suum facilis clementia finem
 Desiit, in nullos desinet illa dies.
 Floret, in assiduos florens exuberat usus,
 Vivit, & æterno libera fonte fluit.
 Ut fovet alterno viridantia gramina cursu
 Phœbus, & humentes calfacit igne rosas:
 Ut renovat cunctas exorto lumine vires,
 Et vivax roseo spirat ab ore jubar:
 Sic immutati bonitas immensa Tonantis.
 Prodit, & æterna pectora luce juvat.
 Instillat robur miseris, fœcunda recrefcit:
 Nec tam multa tulit munera, plura feret.
 Fit nova, seu croceas lux matutina quadrigas
 Reddit, & Eoo lumen ab axe vehit.
 Fit nova, declivem seu vesper opacat Olympum,
 Et ferrugineos nox agit atra pedes.
 Tanta fides Domini, tanta est constantia cordis,
 Tantus in æthereo numine flagrat amor.
 Ille salus animæ vera est, pars maxima vitæ:
 Is mihi confugium, mens mea, dixit, erit.
 Hinc spes venturam petit indefessa quietem:
 Vivit, & expulso damna furore levat.
 Erigat impavidam stabilis fiducia mentem:
 Quod nocet, ætherea mutat ab arce Deus.
 Comis enim Deus est, nec dedignatur honorem
 Supplicis, oblatam s' modò poscat opem.
 Mitigat instantem imposita formidine pœnam:
 Delicti veniam si petis, ille dabit.
 Huic favet, ambigux nullo qui vulnere sortis
 Frangitur, ultorem sed vocat ore Deum.
 Qui perstat, cladesque premit, nutumq; Tonantis,
 Excipit, & spirans in statione manet.

Qui

I E R E M I A E.

Qui non ætherei desciscit ab ore Tonantis,
 Cum videt audaci vela perire noto.
 Sed spe solatur luctus, iramque coercet,
 Et Deus, in medio gurgite quærit, ubi est?
 Quam res præclara est, placidè perferre dolores?
 Sortis & incerto tempore posse pati?
 Non consternatas animi submittere vires,
 Non indignanti pectore ferre jugum.
 Sed tolerare metus, pavidisque assuescere curis,
 Et rerum dubias frangere mente vices.
 Solvere vota Deo, superi sperare salutem
 Numinis, & querulas continuare preces.
 At tu mortali frueris qui munere vitæ,
 Dum puer es, luctum vincere disce puer.
 Disce fatigantes animo contundere curas,
 Dum terit illæsos prima juvenia dies.
 Sic ubi longævos albentia tempora canos
 Extulerint, poteris fortior esse senex.
 Hinc quoq; quos habeat proprios patientia mores,
 Discite: conspicuas exhibet illa notas.
 Sola sedet, linguamq; domat, moderata quiescit:
 Si qua tenet, tacita tristia mente fovet.
 Abjicit obstrepere liventia jurgia litis:
 Amplecti pacem, pacis alumna, studet.
 Non odiis certat, non invidet, acta relinquit,
 Omnia divina eurrere lege videt.
 Non mala, nec crebros perfert invita labores,
 Hos quia cœlesti sede venire putat.
 Non animis turget, fœdoque superflua luxu.
 Diffluit, aut fastu perdit a jactat opes.
 Diligit exiguos, humili parcissima, cultus:
 Contenta est tenui, fercula pauca petit.

T H R E N I

Qua cinis est, recubat: cinerem convolvit, & ori
 Subjicit, inque solo pulverulenta jacet.
 Squalida pulvereo deponit corpora tractu,
 Si forsan gravibus spes foret ulla malis.
 Ora paludoso submergit hiantia cœno,
 Si res immensos len. at ulla metus.
 Intentes duras repetito verberare plagas,
 Porrigat infantes protinus illa genas.
 Offeret immeritas posito lætamine malas:
 Et quod agis, dicet perfice, cuncta feram.
 Fœda laceffentis capiet convicia linguæ,
 Nec tamen ad dictum garrula crimen erit.
 Sed quid ais? quas summa tenet patientia metas?
 An mala præscripto talia fine carent?
 Quis dabitur (quæso) tandem consistere portu?
 Non aderit vindex, qui regat ista Deus?
 Desine sollicito perquirere plura rogatu,
 Quod premit, exiguo tempore corda premet.
 Quæ metuis, fugient: surget felicior ætas,
 Præmiaq; exhausti multa laboris erunt.
 Non ita perpetuo fati jactabere cursu:
 Nec quæ dura putas, tristia semper erunt.
 Ipse Deus clades abigit, medicina dolorum
 Est Deus, auxilio languida corda juvat.
 Nec solet æterno pœnas extendere planctu,
 Crimina nec tristi plectere quæque manu.
 Sed ciet exiguos, iræ simulacra, dolores:
 Turbat, non frangit pectora, tela regit.
 Hos quoque, quos leviter tetigit, miseratur, & iram
 Supprimit: & vulnus, quale sit, esse dolet.
 Ingemit ærumnis, pœnæ tormenta retractat,
 Supplicii minuit pondera, mittit opem.

Floret

I E R E M I A E.

Floret enim bonitate Deus, bonitate movetur,
Et pœnam, quoties verberat, ipse luit.
Sauciat invitis mortalia corpora palmis :
Sed tamen, ut pietas constet, in arma ruit.
Sæpe manu torquet jaculum : sed ut eriet ab ictu,
Imperat, & retrahens irrita tela facit.
Quos etenim punit, non obterit, æquius instat :
Quodq; manu tractat, non pede calcat idem.
Constringit vinclis, sed sic, ut vincula demat :
Terret, at exiguo tempore terror abit.
Scit punire homines, homines sed perdere nescit,
Ipsa etiam leviter tangere pœna solet.
Sed breviter, bonus est: statuit moderata, nec unquã,
Quam moneat pietas, durior esse potest.
Non raptim damnat, nec jus invertere fuco
Affectet, aut fictis legibus esse nocens.
Nec sceleri obtendi speciem, quærive latebras
Permittit, causis nec sine lege favet.
Non abigit testes, nec circumscribere quenquam
Sustinet, aut trepidis durior esse reis.
Sed iudex bonus est, hoc iudice vera tueri,
Et quod jus causæ est, jus retinere licet.
Quod res est, statuit : certo moderamine leges
Temperat, assensu comprobat æqua suo.
Nil consecatur, cuivis, quod jura requirunt,
Attribuit : fallax, si velit, esse nequit.
Cur igitur trepidas ? quæ fers, cur dura videntur ?
Cur quæcunq; premant, excutienda putas ?
Perfer onus, perferre decet, Deus ipse juvabit.
Quique onus imposuit, mox quoq; demet onus.
Spem foveas : inhia melioribus, erige mentem:
Qui iudex bonus est, & tibi justus erit.

T H R E N I

Ergo age, cum quodcunq; boni est, quodcunq; malo-
 Eveniat dextra sic moderante Dei: (rum,
Quis tam delirat væcors, ut libera ferri,
 Aut Domini injussu talia facta putet?
 Ecquis ades, qui cuncta Deum præbere negabis,
 Sive fruare bono, sive premare malis?
 Nam bona largitur, justis ne præmia defint,
 Aut meritis rectum destituatur opus.
 Ne frustra probitas, quæ sint faciunda, faceffat.
 Virtutemque decens ut comitetur honos.
 At mala continuat, ne turpia facta per orbem
 Ulterius vitio luxuriante fluant.
 Vt sint peccandi fines, metæque malorum,
 Et quos lex nequeat frangere, pœna queat.
 Hinc pestis manant causæ, contagia furgunt,
 Et cœlo infecto sævit acerba lues.
 Sæpe fames instat, segetem mœrentibus arvis
 Eripit, & fruges invidiosa negat.
 Hinc belli rabies, hinc impetus ille furentis
 Martis adest, & vi proxima quæque rapit.
Cur igitur doleat quisquam? cur lugeat amens?
 Puniri meritò cum sua facta sciat?
Cur indignatus pœnam perferre gravatur,
 Pro meritum qui se detemora videt?
 Iustus enim Deus est, nec sic inquirat in ullos,
 Vt cogat, quod non commeruere, pati.
 Quin exploremus causamq; modumq; salutis,
 Stertendo nunquam si venit ulla falus.
 Vestigemus iter, planos inquirere calles
 Cura sit, & certo tramite ferre gradum.
 Ne via multifido fallax errore teratur,
 Pesye latebrosos ausit inire specus.

Sit

I E R E M I A E.

Sit morum ratio, melior sententia vitam
 Corrigat: auspiciis illa salutis eget.
 Colluvies absit scelerum, constantia mentes
 Muniat, incoeptum nil remoretur iter.
 Ast ubi discessu falsos incurrere fines
 Cœpimus, & fallet semita curva pedes:
 Ad Dominum relegamus iter, Dominumq; potentē
 Quæramus: superas incolit ille domos.
 Vota sonent, palmæq; humiles, & corda leventur,
 Exhibeant gemitum pectora, signa manus.
 Ploremus parili, parili mœrore precemur:
 Sæpe preces querulo carmine, parce, ferant.
 Nos quia, nos turpi scelerata patravimus ausu,
 Auctaque communi crimine culpa fuit.
 Nostra laceffitum movit petulantia numen,
 Et scelus obstantem traxit in arma Deum.
 Nos patrias veteri contempsimus ordine leges,
 Sprevimus abjecto iussa suprema metu.
 Hinc vastatrices meritò tua dextera palmas
 Intulit, & gravior, quàm solet esse, fuit.
 Quàm Deus immani nos insectatus es ira?
 Quæ passim strages te feriente, fuit?
 Vt solet undoso maris inclementia fluctu
 Occulere acclivi subdita prata solo:
 Sic tuus obtexit miseros, miserosq; subegit,
 Vt semel immitis venit ad arma furor.
 Occidimus ferro, nulli tua dextera pepercit,
 Dic mihi cui poterat parcere? sæva fuit.
 Sæpe quis incerti plures sibi temporis annos
 Pollicitus, subito cæsus ab ense cadit.
 Sæpe quis indomitam jactans ætate juventam,
 Concidit, & tristi vulnere victus obit.

T H R E N I

Ne tamen aspicias gemitus, audire precantes
 Ne possis, faciem nubila densa tegunt.
 Obvelant clausos alta caligine vultus,
 Iampridem tenebris frons adoperta latet.
 Hinc mens incassum mœret, suspiria nil sunt:
 Sistuntur sonitu deficiente preces.
 Quæq; prius superas poterant irrumpere sedes,
 Nunc intentato limine vota cadunt.
 Tu labefactatas inimico robore vires
 Turbasti: à nobis, te duce, cessit honor.
 Obterimur cœno similes, spretiq; jacemus:
 Res nutant, certo nec datur orbe quies.
 Quin ignominiis petimur, ludibria fingit
 Nil formidato numine turba ferox.
 Hostis hians imas spiranti gutture fauces
 Distendit, rictus explicat, ora premit.
 Verba refert verbis, effundit in æthera risus,
 Exagitat tristi vulnera cruda joco.
 Talia perferimus, quia plurima ferre necesse est,
 Dum nihil in tanto turbine restat opis.
 Viribus exuimur, torpent formidine mentes:
 Languor inest animis, viscera tabe cadunt.
 Perdidimus patriam: patriis ubi sedibus urbes
 Floruerant, saxis addita saxa jacent.
 Vita perexiguo superest evanida cursu,
 Hanc quoq; multiplici tollere fraude student.
 Obruimur miseri, rapidis contundimur armis:
 Vis instat, languent corpora, vita fugit.
 Hinc indefessis lachrymantia lumina guttis
 Manant, hinc largo flumine labra madent.
 Et sicut fragilem torrens temerarius ulvam
 Sternit, & audaci flumine pandit iter:

Sic

I E R E M I A E.

Sic lachrymæ feriuntq; genas, fluxuque perenni
 Efficiunt habiles imbre rigante vias.
 Signa manent, tetram facies rugosa colorem
 Contrahit, humentes conficit uda genas.
 Cur lachrymem, rogitas? rogitas, quæ damna Sionem
 Vexent, quæ patrio sæviat orbe lues.
 Inspice cognatæ numerosa pericula gentis,
 Et dices lachrymis urere, damna iubent.
 O quàm difficile est, animi cohibere dolores,
 Quos gravis exorta clade ruina ciet:
 Qui labor, afflictæ curas abstergere mentis,
 Quas insanato vulnere terror alit?
 Vt ruit æquoreas emissa carina per undas,
 Cum turgent agili pendula vela notho.
 Vt non defixo revolubilis anchora morfu
 Alligat, aut rapidam sistit adunca ratem:
 Sic dolor erumpit, faciliq; intenditur usu,
 Et nusquam vultu testificante latet.
 Protinus extorquet gemitus, viresq; gemendo
 Accipit, & tacito serpit in ossa gradu.
 Nec mora, turgent lachrymis irritat ocellos,
 Et crebro informes perluit imbre genas.
 Et meus hic status est, imos dolor incitat artus,
 Lumina perpetuis imbribus iëta madent.
 Nec lachrymis modus ullus erit, nisi rector Olympi
 Annuat, & placido numine tollat onus.
 Aut liquido æternos huc vertat ab æthere vultus,
 Et grave stelligera cernat ab arce malum.
 Luceat ista dies, croceis eat orta quadrigis,
 Maturet roseum sole micante jubar.
 At lachrymis pereo, languent præcordia luctu,
 Cassaque vivaci robore membra stupent.

Plus

Sic

T H R E N I

Plus ego quàm reliqui, doleo, Solymæq; puellas
 Conqueror, hinc vitam conficit iste dolor.
 Ut solet argutos auceps pervadere saltus,
 Cum patula timidus arbore quærit aves :
 Fraudibus invigilat, calamos, & vimen acutum
 Collinit, & cantum suscitatur, urget opus.
 Spargit in attritas defecto gramine fruges,
 Accubat, & linum callidus arte trahit.
 Nec prius aut curas, aut tentamenta reponit,
 Quàm capiat querulas insidiator aves :
 Sic me venata est, variosque experta labores
 Sudavit, tectis fraudibus apta cohors.
 Cur? ut me capiat, quæ spes? capere dolentem,
 Innocuumque atro continuere specu.
 Quid loquar? immani vitam clausere barathro,
 Hic ubi subductis terra dehiscit aquis.
 Objecere gravis prægrandia fragmina saxi,
 Et lapidem pronò deposuere jugo.
 Insonuit pontus, tumidoque innabilis æstu
 Sæviit, audaces turbine movit aquas.
 Traxit harenosos nimbi violentia fluctus,
 Impulit obstreperum cana procella fretum.
 Me petiit fluctus, me suppressere procellis
 Aequora, & infelix obruit unda caput.
 Hic quoties dixi, Nil sum : sperare salutem
 Non datur, exitio proxima vita labat.
 Nec mala mitescent, fati extrema parantur :
 Opprimor, hæc summum protulit hora diem.
 His tamen objectus tenebris, vastoq; recessu
 Abditus, impavido pectore vota dedi.
 Agglomeret carcer tenebras, terræq; dehiscant
 Viscera, tollantur nubila, vota dedi.

Te

Y E R E M I A E.

Te Deus altitonans submissa voce rogavi,
 Et tantum nostro nomen in ore fuit.
 Auxilium petii, grandisque levamina curæ,
 Nec frustra querulas passus es ire preces.
 Res patet eventu, lugubria vota precantis
 Audisti: fœlix nostra querela fuit.
 Ah Deus averfas solito inclementior aures
 Non tege, cum placidam vox mea poscit opem:
 Quasq; aliis præbes, nostræ absurdescere voce
 Non sine, cum tristi mens dolet ægra statu.
 Cum gemitus iterant curæ, suspiria ducunt,
 Mœstus & extemplò clamor ad astra venit.
 Ut sic respirem, tu respirare dolentem
 Vis pater, & semper velle videris idem.
 Semper ades, miserosq; juvas, minuisq; dolorem,
 Aerumnisq; levas corpora, corda metu.
 Nuper, ubi nota supplex te voce vocarem,
 Et ferrem tacitas mente favente preces:
 Astabas, memini, propior: placideq; locutus,
 Pone metum, dixti: spem cape, salvus eris.
 Si quid ego possum (possum fed cuncta) valebis,
 Incolumis veteri restituere loco.
 Atque ita securæ crescit fiducia mentis,
 Sic animus tutum se fore semper ait:
 Iudicii sortes memini, litisque recordor,
 Qua fuit ingenti caussa relata metu.
 Qua reus immeritò, vitiiq; ignarus agebar,
 Et capitis falso crimine pressus eram.
 Confedit iudex, tristes quæsit in iras
 Exarsit, poenam turba paravit atrox.
 Substituit falsos ad iniqua piacula testes:
 Quæ potuit, fecit: cuncta referre vector.

At

T H R E N I

At Deus exegit testes, onus omne removit:
 Reppulit invidiam, reppulit omne nephas.
 Discussit lites, condemnatoque salutem
 Restituit: rabies vi superanda fuit.
 Hæc Deus egisti, melior te iudice vicit
 Causa: quid urgentes horruit illa minas?
 Evasi liber, vitæ monumenta paciscor:
 Quæ capio, tua sunt præmia: mortis eram.
 Vidisti insidias: quæ fraus innexa dolenti,
 Vidisti: tectis obfuit illa dolis.
 Non te vis latuit, tectoque injuria nisu,
 Pelle quod ingenio dissimulante struunt.
 Quo sitiant cædes animo, quàm noxia tentent,
 Vidisti, quantis arserit ira minis.
 Quæ consultarint, nosti: quid mente paretur,
 Percipis: arcanis sensibus acta vides.
 Quæ scelera admittant, quæ nunc convicia jactent,
 Audisti, quo me crimine sæpe premant.
 Qua studeant macula castos aspergere mores,
 Et famæ priscum debilitare decus.
 Qua quisquis vitio partos affligat honores:
 Qua me, cum nequeat perdere, labe notet.
 Auribus hausisti rabiem, fastusque malignos,
 Quosve struant animo parturiente dolos.
 Quæ mala componant, quali conamine fraudes
 Nectant, astuti quod meditentur opus.
 Quàm moveat stultos insania cæca furores,
 Dum varias referunt impia corda vices,
 Qualia futilibus pergant effundere labris,
 Dum turpes iterat lingua prophana jocos.
 Quod scelus instaurent, quanto mendacia plausu
 Fingant, dum lucem præbet oborta dies,

Hæc

I E R E M I A E.

Hæc Deus at superæ convexo culmine sedis
 Aspicias, hæc celsa rector ab arce notas.
 Sed quid præterea faciant, intellige, dicam :
 Solus enim superes, cui mala tanta querar.
 Lascivos turpi repetunt modulamine cantus,
 Et mea communi nomina voce ferunt.
 Seu prius accumbant, mensasq; sedilibus ardent,
 Seu surgant, pariter carmina foeda canunt.
 Intendunt mixtas nullo discrimine voces,
 Obscœnis resonant illa vel illa modis.
 Ergo age surge pater, quid segnior hoste moraris?
 Surge, coruscanti fulmina tolle manu.
 Corripe tela pater, celeres molire sagittas,
 Sit gravior, lento quæ venit ira gradu.
 Dejice nunc trifidos jaculis fumantibus ignes,
 Flammaram teretes ejaculare globos.
 Obrue qui peccant, armis prosterne malignos :
 Redde pares illis, ut meruere, vices.
 Tolle malos, expelle nephas, ulciscere fraudes :
 Incipe, pœnarum perface mille modos.
 Turbet inextinctus pavitantia pectora terror,
 Saucia letiferum virus in ossa ruat.
 Corpora marcescant, fractos tremor occupet artus,
 Conficiat tabes viscera, corda metus.
 Devoveas meritos, lingua execrare feroces,
 Supprime Tartareo colla superba lacu.
 Exagita furiis animos, dirasq; medullis
 Ingere, sentiri possit ut ira gravis,
 Pertenter sensus, rapidum furor excitet ignem :
 Hæreat, & flammam implicet atra lues.
 Infectare malos, cursu preme terga volantum :
 In laqueum profugos, dum furor ardet, agas.

Obrue

c



T H R E N I

Obrue comprehensos, stillanti comprime ferro:
Quem cursu poteris prendere, dede neci.
Ne qua prophanatæ restent vestigia gentis,
Qua patet astrigere lux spaciola poli.
Sed quid ago toties? durum quid abominor hostem?
Ingruit occulto pœna suprema gradu.
Luxurient molles, spernant præfagia vatum:
Hæc, qui suppliciiis exigat, ultor adest.
Rex superum veniet, veniet moderator Olympi:
Et mala, quæ præsens auguror, ipse feret.
Nunc mea flebilibus redeant lamenta querelis:
Quoq; prius cœpit tramite, pergat equus.
Eheu quàm torpet, nuper quod splenduit aurum?
Quàm vetus ingenti forma nitore abest?
Qui modò nutantes radiis perstrinxit ocellos,
Cur obscurato cessit ab ære color?
Quæq; metallifero crepitabat bractea flexu,
Cur non auricomum reddit, ut antè, jubat?
Quæ purgatrices bene pertulit ignea prunas,
Et vitio excocto lucida massa fuit:
Quàm torpet scabra tenues ærugine venas?
Quàm situs arroso margine multus inest?
Præterea templum cecidit, laquearia tignis
Exiliunt, mōto culmine tecta ruunt.
Quæ steterant adyto cautes, sedemq; sacratam
Munierant, fragiles hic & ubiq; jacent.
Collisis foribus, sparsoque bitumine postes
Procumbunt, ruptis partibus horret ebur.
Diruta seculibus trepidant donaria cedris,
Vilescunt udo marmora trita luto.
Quo fruitur cultu proles generosa Sionis?
Quas vestes summo stemmate nata gerit?

Eheu:

I E R E M I A E.

Eheu quàm tenui princeps velatur amictu ?
 Quàm portat viles, vilior ipsa, stolas ?
 Quæ modò Sidonias imbuto vellere pallas,
 Barbaricaq; datas induit arte togas :
 Quæ gemmis auroque graves librare coronas
 Sueverat, & dignum vertice ferre decus :
 Nunc fordescentes lacero velamine pannos
 Consuit, & nodis alligat, ossa tegens.
 Nescit & ostriferos sagulo contenta, colores,
 Et circumtexto stamine fila trahit.
 Quæ modò cælatis operosa monilia bullis
 Gessit, & evinctis signa superba comis :
 Iam caret ornatu, lautis redimicula mitris
 Abiecit, nec jam fulget ab ære chlamys.
 Extorsit raptos fortuna miserrima torques,
 Non decor hic superest, purpura nulla rubet.
 Ut formata rudi contemnitur amphora limo,
 Ut sperni vulgo fictilis olla solet,
 Quam parat artificii manus indefessa rotatu,
 Cœpit ut argillam testa caduca sequi :
 Sic conculcata soboles generosa Sionis
 Spernitur, & nullo laudis honore valet.
 Sic inculta jacet, vilisq; abjectior alga
 Mœret, inornato conficiturque situ.
 Hæc licet innumeri certè sint plena doloris,
 Et satis immiti vulnere corda premant :
 At ferri possent, moderatius omnia ferrem,
 Ni restent longo deteriora metu :
 Ni graviora sciam, quæ dicere lingua veretur,
 Sed tamen ut pateant facta, referre parat.
 Nolle cupis ? dempto crescit penuria victu,
 Deficiunt epulæ, sævit acerba fames,

Arya

T H R E N I

Arva rigent, frumenta negant, & messe colonos
 Defraudant, nullo flavet honore Ceres.
 Sæpe quis irriguas rastro stridente nouales
 Obruit, & rigido vomere sulcat agros.
 Sed nihil inde metit, nullas abscindit aristas :
 Occidit, & teneri feminis herba perit.
 Hinc quod edatur, abest : trepidas penuria matres
 Conficit, & membris robora justa negat.
 Nec semel arreptas exhausta puerpera mammas
 Comprimit, ut pueris, quod fluat inde, daret.
 Sed nihil est, flaccis defunt alimenta papillis :
 Lacte caret, mammas abstrahit, ægra dolet.
 Quid facitis miseræ ? parvos enixa dracones
 Educat, & catulostorva dracæna fovet.
 Lurida squalenti subjungit & ubera succo,
 Et squamas squamis applicat, ora petit.
 At vos crudeles solæ, solæ estis atroces,
 Ut fera, quæ pullos odit & arcet, avis :
 Immanes solæ, vos dulcia pignora pastu
 Deseritis : simili crimine peccat avis.
 Quæ nomen prætentat avis, sed bestia dici
 Debuit, invicto robore bella gerit.
 Incumbit, ferrumq; vorat, pedibusq; bisulcis
 Raptat, & à tergo grandia saxa jacet.
 Vicit amara lues, penuria summa coegit :
 Victus amor, pietas cessit amica fami.
 Quas non ærumnæ superant, superavit egestas :
 Scilicet invidia culpa coacta caret.
 At teneri pereuntq; siti, linguæq; palato
 Hærent, & sicca guttura fauce tument.
 Ora fatigatis arent exanguia labris,
 Et patulum tenui flamine guttur hiat.

Evol-

I E R E M I A E.

Evoluunt lachrymas, lachrymis narrare videntur,
 Torreri immodica pectora parva siti.
 Sæpius attollunt vocem: vox missa palato
 Siftitur, & rauco gutture fessa silet.
 Desinit in fletus, ipsosque emortua fletus
 Rumpit, & informi murmure claudit iter.
 Sæpe cibum cupiunt pueri, panesque retorto
 Ore petunt, torto sed nihil ore ferunt.
 Heu nemo properat textis efferre canistris,
 Aut aliquos tenui sumere corbe cibos.
 Heu mihi quis properet? quibus expedienda canistris
 Flava ceres? tota sævit in urbe fames.
 Horrea maturis frustrantur inania spicis,
 Pinguiaque absumpto semine farra negant.
 Hæc vacua excussis insternitur area granis,
 Frugibus & stipulis area laxa caret.
 Rarefcit correpta seges, successit egestas,
 Et, quæ rimatur tabida membra, fames.
 Qui prius affuerunt dites contingere mensas,
 Aureaq; egregiis subdere fulcra thoris.
 Qui modò regali gaudebant vivere luxu,
 Promebantq; alto fercula multa penu.
 Quiq; renidentes epulis genialibus aulas
 Stipabant, lautas turba sequuta dapes:
 Hi nunc accubituq; carent, victuque laborant,
 Raraque contempto regmine strata locant.
 Exiguo cupiunt vitam traducere sumptu,
 Exiguus cuncto munere sumptus abest.
 In trivis obeunt, spaciisque patentibus ægri
 Deficiunt, & humi pallida membra jacent.
 Quos genitrix primis jucunda enutriit annis,
 Quos incredibili fovit amore parens:

In-

T H R E N I

Inclayta cum molles ambiret purpura cunas,
 Et tegetet parvum fascia picta latus :
Hi miserè expirant omnes, cœnoq; palustri
 Merguntur : cœno putria membra manent.
Non asportantur pheretris, fletuque paracto
 Iusta sepulchrali nullus honore facit.
Pertulit æthereas regio Sodomitica flammæ,
 Et gravis horrendo turbine pœna fuit.
Sed gravior Solymam clades, immanior hostis
 Eruit : indicis utere, vera scies.
Illa per exiguo suprema pericula tractu
 Finit, ærumnas abitulit una dies.
Hæc hausit longos armis obsessa dolores,
 Aerumnas auxit tempore longa dies.
Illa Dei manibus cecidit, ceciditque potenti
 Robore, sulphureos igne crepante globos.
Nam Deus, ut crevit peccandi sæva cupido,
 Pulsus & infaustra cessit ab urbe pudor :
Flagranti ignitas devoluit ab æthere nubes,
 Et nitidas picea grandine fregit opes,
Hanc inimica cohors longa obsidione subegit,
 Hanc expugnatis mœnibus hostis habet.
Is conturbavit leges, urbemque vetustam
 Vertit, & ornatu despoliavit atrox.
Expulit indigenas, habitataq; tecta cremavit,
 Lataque protritit diruit arva satis.
Hoc tamen arbitrio Solymæ res peior haberi,
 Hoc dici inferior crimine causa potest:
Quòd præcantatæ manifesta pericula cladis
 Spreverit, & dulcem traxerit inde moram :
Veriloquos tristi damnaverit omine vates,
 Liberiisque tetrum passa sit ire nephas.

Hine

I E R E M I A E.

Hinc igitur gravibus cecidit defleta procellis,
Hinc ea difficili mole ruina venit.

Florebant nuper proceres, viridique juventa
Gaudebant: dignus stabat in ore decor.

Spirabat lepidum facies nativa ruborem,
Mixtus & æterno lumine candor erat.

Nec tam nix albet superas delapsa per arces,
Frigore Sithonias cum premit alta plagas:

Nec tam collecti spumantia flumina lactis
Canent, quæ mulætris curva colona gerit:

Quam facies digno lucebat eburnea vultu:
Non rubicunda nimis, nec nimis alba fuit,

Sed rubicunda simul, tractu simul alba genarum,
Temperies parili mixta colore fuit.

Inclyta vivaces referebant lumina flammæ,
Luminibus micuit gloria, fronte pudor,

Addiderat molles felix natura capillos,
Et flavis inerat gratia summa comis.

Cedite scætilibus subnexa corallia gemmis,
Dignior hic multo forma decore fuit.

Cedite lucentes auro radiante saphiri,
Quos legit utilibus Media dives agris.

Forma hic nobilior, speciesque decentior oris
Major ab aspectu: cedite, fulsir honor.

Nil dici poterat, quo corpora pulchra carerent.
Crescebant validis fortia membra thoris.

At nunc detracta forma est contraria cultu,
Cessit in informes prisca figura situs.

Labra tument, vultus cæca fuligine squalet,
Tolluntur macie robora, tabe color.

Ima fatigatas penetrant contagia vires,
Torpor inest membris, corpora lassa tremunt.

Fusca-

T H R E N I

Fuscatur maculis facies, rugisque senescit,
 Nullaque noticiæ signa prioris habet.
 Sæpe quis è lecto veteres visurus amicos
 Prodit, ut alloquiis tædia longa levet.
 Ut venit, aut ignotus abit (quia noscere vultus
 Decolor, & morbi vis diuturna verat)
 Aut ignoratæ recitat primordia stirpis,
 Indiciis possit si revocare notas.
 Stant oculi indecores, vacuum lunantur in orbem,
 Pallida contracto margine colla rigent.
 Succus abest humeris, flexos arentia lumbos
 Ossa premunt, vacua sub cute pressa jacent.
 Pectora conspicuis extant emortua costis,
 Et vix spinali crate cohæret onus.
 Pendula curvatum protendunt ilia ventrem,
 Objectu laterum viscera tota patent.
 Prependent tali nodis, hinc crura vacillant
 Gressibus, & furis attenuata carent.
 At cutis obductis induruit arida rugis,
 Non secus ac rigido cortice truncus iners.
 Quàm miser est, quàm multa ferat, tuleritq; necesse
 Cui mens infestas comparat ægra vices: (est,
 Hæc gravior clades, fuit illa remissior, inquit:
 Pluribus ex damnis lenius illud erat.
 Mollior ista lues, vehementius ista venenum
 Sparsit, & ex multis durior ista fuit.
 Hoc qui multiplices agitât discrimine casus,
 Innuit æterno longa pericla metu:
 Significat, quæ non bona sunt, bona posse vocari:
 Quæque nocent, aliquid posse juvare putat.
 Heu quod obest, id semper obest: sic ignis adurit,
 Seu parvo incumbat lumine, sive gravi.

Et

I E R E M I A E.

Et mea sic fors est, rerum delectus habetur,
 Quæ gravius lædant vulnera, quæq; minus.
 Quæ levior mors sit, (si quid levitatis in illa est)
 Nam gladiis infert dextera, quamve fames.
 Illa repentino corpus transverberat ictu:
 Hæc manet, hæc lenta viscera tabe premit.
 Illa semel, quodcunq; dolet, facit esse dolorem:
 Hæc non præscripto tempore damna trahit.
 Ense potest ensis reprimi, sic vulnere vulnus:
 At quibus auspiciis, qua fugit arte fames?
 Ille manu geritur, propriis hæc viribus urget:
 Ille ferit paucos, hæc sine lege furit.
 Sic melius moritur, quem cuspide trajicit hostis:
 Nescio quid gravius fert male suada fames.
 Fert tamen ærumnas, duosq; gravissima luctus
 Excitat: heu nostras enecat illa plagas.
 Exercet populum macies, jejunia crescunt,
 Turba perit demptis infatiata cibis.
 Pauca petit, paucisq; caret, frustratur hiando,
 Et donum vitæ longius esse dolet.
 Adde, quòd infantes genitrix non una puellos
 Corripit, & cultro pignora chara necat.
 Ut scelerata gulam, tenuemque voracior alvum
 Expleat, infanda talia cæde facit.
 Perforat horrenti puerilia pectora ferro,
 Fulmineo tremulum subsecat ense caput.
 Detruncat tenues rupta coxendice lumbos,
 Nuda cruentata disjicit ossa manu.
 Frustra minutatim stantes partitur in ollas,
 Fatalique coquit pallida membra foco.
 Instruit infandas facti malè conscia mensas,
 Accubituque ferox viscera tosta vorat.

K

Quæ

T H R E N I

Quæ tibi mater edax, quæ tunc occurrit imago?
Quid tibi, cur cessas dicere, mentis erat?
Cum natum foderes? primosque referret ad ictus
Natus, io mater desine, mater io?
Quæ nunc cura subit, coctos violentior artus
Cum rapis, & tristi vesceris ægra cibo?
Hæc evenerunt, ut fors inimica Sionem
Obruit: hac genitrix impia parte fuit.
Plurima prætereo: si quis tamen omnia quærat,
Omnia cœlestis continet ira Dei.
• Supplicii cunctos complectitur illa furores:
Dic iram, pœnæ dixeris omne genus.
Illa volutatas effusa licentius alas
Extulit, & noxas foeta dolore dedit.
Mœnia delevit, fortunatosque penates
Diruit: antiquas fregit iniqua domos.
Sed quid delevit, quos diruit illa penates?
Aut quas destruxit pernicioſa domos?
Heu toties rogitas, toties manifesta requiris:
Ira Sioncum sustulit illa decus.
Illa Sioncas violentius eruit arces,
Illa coloratas vertit in urbe domos.
Fovit inextinctos flammis crepitantibus ignes.
Aethere fumantes ejaculata globos.
Ima ruinosis vertit fundamina muris,
Et vetus admotis ignibus ussit opus.
Nulla remanserunt prisca monumenta decoris:
Hausit iniqua dies, abstulit ira ferox.
Talibus oppeteret si gens peregrina procellis,
Nil actum mira conditione foret.
Igne sed augustam, ferroq; domare Sionem,
Quæ superûm toties numine tuta fuit:

Cui

I E R E M I A E.

Cui Deus in dubiis servator præfuit armis :
 Hic dolor, hæc læsi numinis ira fuit.
 Excessere fidem clades, gravitasq; furoris,
 Quàm possit quisquam dicere, major erat.
 Nec qui sceptrâ gerunt, qui dant moderamina, Reges,
 Credebant, credi vis prohibebat opum.
 Quiq; tenent orbem populi, variasq; locorum
 Distracti sedes inde vel inde colunt :
 Nec robur tantum, nec vim superesse putarunt,
 Qua Solymæ possent mœnia celsa capi.
 Nec fore dixerunt hostem, qui frangere portas
 Audeat, & Solymas victor inire domos.
 Quid mirum ? gravibus suffusa palatia saxis
 Qui vidit, simili pectore sensit idem.
 Qui fundamentis nixas immanibus arces,
 Aspexit : stabiles hæ quoque, dixit, erunt.
 Viderat ingentes excisa rupe columnas :
 Hasque, ait, excidio non dabit ulla manus.
 Vrbs spaciosa fuit tractu, stratisque viarum
 Pervia, conspicua mole superba fuit.
 Murus inoffensis clausit munimina saxis,
 Alta redundantes fossa tenebat aquas.
 Præsidii, armorumque satis, satis affuit urbi
 Roboris, invictas dives habebat opes.
 Consilium fuit ipse Deus, Deus ipse triumphos
 Obtulit, externos expulit ipse duces.
 Senferat hunc Pharii ductor temerarius orbis,
 Senferat Assyriis turba profecta plagis.
 Et tamen everfa est, victas tenet agmine sedes :
 Et bene mun tum quod fuit, hostis habet.
 Dic age quo versa est fato ? quæ caussa ruinæ ?
 Principiumque mali quod fuit, unde fuit ?

T R H E N I

Heu loquar, an fileam? falsis tot damna prophetis
 Debentur: vates causa fuere mali.
 Qui mactatrices tinxerunt sanguine dextras,
 Et varia infantum caede fuere truces.
 Innocuumq; (nephias) late sparsere cruorem:
 Corporaque injustae multa dedere neci.
 Vis melius dicam? vis clarius omnia dici?
 (Res modo si dici clarius ulla queat)
 Vana sacerdotes falsi responsa dederunt,
 Improba mendaci dicta dedere sono.
 Ore fefellerunt, & inania verba locuti,
 Struxerunt lingua vaticinante dolos.
 Saepe quis haec, inquit, caelestia jura requirunt,
 Credite: divino, quae loquor, ore loquor.
 Cur credi debent? oracula ficta fuerunt,
 Somnia fallaci proposuere sono.
 Credidit illa tamen populus, scelerisq; nephandi
 Assensor nutu testificante fuit.
 Hinc furor exarsit, diroque incanduit aestu
 Poena, coercentis poena severa Dei.
 Sic illi authores, & causa fuere malorum,
 Sic varia infantum caede fuere truces.
 Vt caecus, timido cum solus inambulat ausu,
 Errat, & ambiguus passibus intrat iter:
 Indagat calles baculo, ductusque viarum
 Explorat, recte nec tamen ire potest.
 Iam curvis agitur spaciis, jam tramite longo
 Incedit: certo tramite ductor abest.
 Sic ibant falsi caeca vertigine vates,
 (Afflatu aeterni nam caruere patris)
 Huc jam, jamque illuc stimulis furialibus acti
 Currebant, animis nec pudor ullus erat.

Per

I E R E M I A E.

Per vicos, stratasque vias sine more ruebant,
 Nec modus insanis gressibus ullus erat.
 At sic pollutæ vestes, sic sanguine nigro
 Pallia per curvos tincta fuere sinus:
 Ut nullam posses tunicæ contingere partem,
 Qua non manaret deflueretque cruor.
 Sanguis erant manicæ, stillabat sanguine limbus,
 Fimbria purpureo plena cruore stetit.
 Livebat rubro sutura novissima fluxu,
 Hærebat cunctis gutta cruenta plicis.
 Eheu quas cædes, quod commisere nephando
 Ense nephas, quantæ causæ fuere necis?
 Prodigiiis ausi miseros seducere cives,
 Traxerunt fictis damna suprema sacris.
 Cæde cruentarunt patriam, fraudesque locuti
 Et scelus, & sceleris non vetuere luem.
 His tamen aspersi maculis, hac tabe notati,
 Tentarunt castis moribus esse piæ.
 Qui nunquam fuerant, nec erant, voluere videri,
 Hac ut funestum nube lateret opus.
 Imbuti vitiis, vitiis obtendere fucum
 Sciverunt: fraudis id fuit arte sequi.
 Pellebant alios (tanta est insania) vates,
 Qui scelus, & turpes increpuere dolos.
 Voce laceßebant reliquos, factoque tumultu
 Fundebant tristes ter quater ore sonos.
 Ite procul fœdi, properoque faceßite cursu,
 Ferte recedentes turba prophana gradus.
 Ite, nec allapsi nostras attingite vestes:
 Nolumus, attactu sordida vestis erit.
 Sic iurgabantur, sic dicta minacia dictis
 Miscebant, mixtus crimine clamor erat.

T H R E N I

Lymphati errabant, & per loca cuncta vagantes
Horrebant, tristes ore vomente minas.

At cives dubios freti sermone, tenebant :

Cumque nihil possent addere, verba dabant.

Multa recensebant, miseram clamoribus urbem

Implebant : parta est nec tamen inde quies.

Fidite, clamabant, melius : sperate salutem.

Surgite, finis adest cladibus : este viri.

Desinet exilium, nec gens erit ulla per orbem,

Quæ vestris posthac vi potiatur agris.

Hos pater omnipotens (ne quid dimittat inultum,

Radicesq; ferox altius error agat)

Sustulit infensus, detestandosque furores

Puniit : admissum puniit ille nephas.

Vtque agitat fragiles emoto stipite culmos

Ventus, ut à vento rapta favilla volat :

Sic deploratos disjecit turbine vates,

Invisum toto dispulit orbe genus.

Obruit errorem, dirosq; coercuit ausus,

Nec positis unquam desinet ira minis.

Ne quoque dispersos vultu dignetur amico,

Obtexit tristi lumina blanda manu.

Immisit duros manibus populantibus hostes,

Venit inhumano milite cincta cohors.

Intulit arma ferox, & inexpectata colonos

Obruit, & flavos noxia vertit agros.

Edidit indignas armis exercita cædes :

Quos potuit leto dedere, sæva dedit.

Non habitæ est ratio, non ferro, iræq; pepercit,

Ense sacerdotum turba sacrata cadit.

Pendula nexilibus nil profuit infula vittis,

Nil pia thuricremis obstitit ara focis.

Procu-

I E R E M I A E.

Procubuerunt senes, quorum jam tardior ætas,
 Languescensque ævo vis graviore fuit.
 Quosq; peracta dies, quos tempora longa tulerunt,
 Vna peregrina non tulit hora necis.
 Nos tamen innumeras fato deludere clades
 Tendimus, incerta fallimus arte metum.
 Spes alit infauitos, huc mens infracta recumbit.
 Hinc, quamcunq; ferat fors bona, poscit opem.
 Stant oculi immoti, contabescuntq; videndo,
 Obtutu insistunt lumina, fixa rigent.
 Perstat agens acies, positosq; interrita vultus
 Dirigit, & nusquam deficit, acre micat.
 Prospectum defixa petit, confinia lustrat,
 Si quid in externo milite restet opis.
 Si qua peregrinis cognosceret agmina parmis,
 Si veniat densa juncta phalange phalanx.
 Nec videt incensam patriam, victosque penates,
 Prostratis etiam rebus adumbrat opem.
 Scilicet ignotas mittet dux advena vires,
 Et vindex justo robore forsitan erit.
 Sic ubi cymba perit resonantibus hausta procellis,
 Incassum fluctus vincere nauta parat.
 Abripitur, frustra q; leves supponere scalmos,
 Pronus & aduerso gurgite nare studet.
 Heu nihil auxilii superest, nihil orbe salutis
 Inuenias, magni cum vetet ira Dei.
 Fidimus Aegypto? Phariumq; accersimus agmen?
 Quam nullus Pharii militis usus erit?
 Desine peltigeras effundere Nile cohortes,
 Nil profecturo prælia Marte cient.
 Quid tamen evenit? quam spes est nacta salutem?
 Quæ Pelusiaco venit ab orbe quies?



T H R E N I

Eheu quæ veniat? spes est sublata, fefellit
 Suspensos: operam lusinus, acta probant.
 Dum fixis oculis sperando duximus horas,
 Vastator multis millibus hostis adest.
 Exitium, mortemque tulit, subsedit in arvis,
 Et patrio alipedes gramine pavit equos.
 Semina contrivit, telis angusta viarum
 Præclusis, pedibus semita nulla patet.
 Quocunq; egredimur, rutilus sese objicit armis,
 Perque vaga admissis jugera tendit equo.
 Insequitur, gradibusq; gradus, cursumq; frequentat
 Cursibus, & rigida cuspide terga premit.
 Sic etiam patriosq; lares, urbemque vetustam
 Infestat, coeptum sic furor urget opus;
 Ut neque porticibus liceat, solitisque theatris
 Ire, nec illustri sit via tuta foro.
 Finis adest: quis adesse neget? spacioq; peracto,
 Ad metam cursu fessus anhelat equus.
 Summa dies, fatumq; tenax, rerumq; propinquat
 Exitus: heu quantis cladibus ille venit?
 Quod viguit, cecidit: tulimus, quæ ferre sinebant
 Tempora: temporibus rursus adempta cadunt.
 Sic indistincto nutant mortalia casu:
 Sic pereunt, quæ quis firma futura putet.
 Ast ubi summa dies, fatiq; novissimus ordo
 Venit, & extremum fabula clausit opus:
 Fortunæ auspiciis fisci, & successibus hostes,
 Ocyus obsessis imminuere locis.
 Utque solent aquilæ celeri superare volatu,
 Cum reliquas alta luce sequuntur aves.
 Cum prædis inhiant, flectuntq; per aëra pennas,
 Et quod in occursum provolat, ungue tenent:

Sic

I E R E M I A E.

Sic etiam nostros cursu prævertere cursus,
 Sic studuere citos accelerare pedes.
 Vicerunt nimbos, rapidas vicere volucres,
 Intentam nobis præripuere fugam.
 Quaque per aërios lapidosa cacumina montes:
 Assurgunt, dumis altaque terra tumet:
 Quà juga clivosos prætendunt vertice colles,
 Scrupeaque obtexto gramine saxa tegunt:
 Hæc nos egerunt, per devia rura secuti,
 Huc properos diro Marte tulere pedes.
 Quid facias? densos virgulta sonantia vepres.
 Objiciunt: ratio non erat ulla fugæ.
 Errabant tardis vestigia lubrica plantis.
 At qui lassatos prenderet, hostis erat.
 Hic, ubi sylvarum frutices, saltusque fragosi
 Perpetuis claudunt abdita saxa jugis:
 Agmen ad insidias, & bellica signa paratum
 Sedit, & occulto milite sepsit iter.
 Rex erat ingenuus nobis, quo mitior alter,
 Nec bello major, nec pietate fuit.
 Quod membris solet esse vigor, quod anhelitus ori,
 Stridula quod patulis naribus aura solet:
 Id nobis rex ille fuit, commissa fovebat,
 Et pia legitimo munere jura dabat.
 Quamq; diu oblatas tenuit moderator habenas,
 Sceptraque pacifica gessit avita manu:
 Floruimus, viguere boni, terrore malignos
 Continuit, populi spesque metusque fuit.
 Nunc gerit insuetis immania vincula palmis.
 Longinquoq; hostem captus in orbe timet.
 Quem Deus ob patrias auxit diademate vires,
 Turba sub imperio perniciofa tenet.

K 5

Quem

T H R E N I

Quem prius ostriferæ chlamydes, trabeæq; tegebant,
 Umbra cavernoso velat opaca specu:
 Qui requies, & amica salus, dulcisq; voluptas,
 Et spes præsentis debuit esse malo:
 Qui nos externo potuisset in orbe tueri,
 Non secus ac lassos umbra diurna fovet:
 Is premitur luctu: vivit, sed vita molesta est:
 Et, quam debebat, non habet exul opem.
 Qui manibus gemmas, operosa monilia collo
 Gessit (ut in regno fas erat ista geri)
 Sustinet immites ferro stridente catenas,
 Et rudibus pedicis crura liganda dedit.
 At tu palmiferæ gaudes habitator Idumæ?
 Damna triumphali ludis acerba sono?
 Lude simul, gaudeq; simul, simul improbe risum
 Tolle, triumphales cantibus ede sonos.
 Insulta miseris, patrias lætare per urbes,
 Infer Idumæis gaudia festa plagis.
 Tu quoq;, quæ mala sunt, quæ sunt damnosa, subibis:
 Tu quoq;, qui rides, sorte premere pari.
 In te certatim clades, subitæq; ruinæ
 Irrumpent, in te vasta procella ruet.
 Quicquid adest, & quicquid habes, habuisse quereris:
 Immani cernes illud ab hoste rapi.
 Nec mora, detracto penitus spoliabere cultu,
 Mutabit priscum forma pudenda decus.
 Vtq; solent madidas nodo dissolvere vestes,
 Et tenues ima volvere parte togas:
 Qui simul obstrepero resonant convivium coetu,
 Epoto amentes incaluere mero:
 Iamque jacet resupina cohors, membrisq; pudorem
 Detrahit, & turpes exhibet uda notas:

Sic

I E R E M I A E.

Sic quoque palmarum dives procumbet Idume,

Sic ignominiaꝝ pocula plena bibet.

Ibit, & obscœnas nudabitur improba partes.

Ibit, & ostendet dedecus ipsa suum.

Tunc vicinorum casus ridere pigebit,

Nec dictis alios corpore fata sinent.

Tuq; satis quassata Sion, satis obruta nimbis,

Quid paucis referam, percipe, læta fero.

Pone metum, pax alma redit, meliora capeffas.

Aspera decedunt tempora, pone metum.

Culpa tua est finita Sion: ignoscere culpæ

Vult Deus, & molli demere forte minas.

Crede, fides aderit, tanto relevabere luctu:

Cura fugit, sensim lætior hora subit.

Tristia pellantur, malefuados pœna dolores:

Mitigat, ærumnas mutat amica quies.

Capta peregrinum non amplius ibis in orbem,

Vi nec in ignotam rapta veheris humum.

Non bellum metues, nec carcere vineta sedebis,

Nec facies summo iussa superba metu.

Servabis patrios curarum libera fines,

Consita fœcundis messibus arva coles.

Servabis patrio legum moderamina ritu:

Nec cuius nutu res eat, alter erit.

Ipsè Deus feret auxilium, custodiet arces,

Imperii fines proteget ipsè Deus.

At te suppliciis subiget, te victor Idume

Obruet: asperius puniet omne nefas.

Quæque diu admissum texit vœsania crimen,

Quæ latuit variis sordibus aucta lues:

Prodibit tandem: rabies, errorq; patebunt:

Vis apparebit, proferet ipsè Deus.

K 6

ORA.

ORATIO JE- REMI AE.

Parce Deus, miserere pater, miserere precantum,
Vim cohibe: nostri sis memor: esse potes.
Huc deflece oculos, infamia summa patebit,
En pater opprobriis perdita turba sumus.
Quicquid honorati rerum liquere parentes,
Demitur: heredes pellimur, alter habet.
Quas habitare diu licuit, quas quilibet ades
Possedit, turbis extera turba tenet.
Visimus orbati patribus, quid vita juvaret,
Solliciti desit cum pia cura patris?
Sunt viduae matres, mulier viduata marito
Sape maritalem maestam requirit opem.
Quod bibimus, precio bibimus: descenditur unda
Humor, & illimes are parantur aqua.
Ligna foro important, lato venalia curru
Expediunt, dantur civibus are dato.
Perferimus duros lassae ceruicis labores:
Vis premit, haec operas exigit, auget onus.
Colla fatigantur, languent trepidantq; lacerti.
Cogimur, at requie turba coacta caret.
Ut jejuna aliquo saturemus viscera pastu,
Et regio oblatos suggerat ulla cibos:
Expetimus Pharia sociali & foederis gentis,
Assyriisq; manum sorte premente damus.
Errarunt proavi, scelere indulgere priores:
Quiq; magis non sunt, causa fuere mali.
Nos luimus duris commissa piacula pœnis:
Præstamus culpam: causa aliena nocet.

I E R E M I A E.

Si pudor est, narrare pudet: mandata timemus
 Servorum, servi regia sceptrā tenent.
 Qui tamen illorum rabiem, qui vindicet ausus,
 Publica qui reprimat crimina, nullus adest.
 Arma fremunt, armis nemorosa arbusta tenentur,
 Tecta sub incultis saltibus arma latent.
 Hec nobis, victam, dubiamq; petentibus escam,
 Intentant certo summa pericla metu.
 Crescit atrox & iniqua fames: alimenta subactos
 Destituunt, fructus arida terra negat.
 Nostra cutis nigrior fumo est: induruit atro
 Tergore, flammisq; hominis ceu foret usa focis.
 Nuptiarum subeunt thalamos, stuprisq; Sionem
 Incestant: matres turba petulca rapit.
 Corrumpunt graciles Iudæ in regione puellas,
 Et spoliū lesæ virginitatis habent.
 Informes nectunt suspensō principe nodos,
 Et trabe letifera grandia colla ligant.
 Non coluit sterilem reverentia digna senectam,
 Obruit annosos publica pœna senes.
 Pistrino juvenes sudant, vastosq; molares
 Exercent, saxis subdita farrā terunt.
 Qui puer est, annisq; minor, rudiorq; labori,
 Ne qua remittantur pondera, ligna gerit.
 Curia legisfero mœret spoliata senatu,
 Et vetus augusta sede senator abest.
 Negligit arguto resonantia stamīna cantu,
 Dediticit faciles mœsta iuventa modos.
 Quæq; animos aluit, cessit fugitiva voluptas,
 Turbat inexhaustus gaudia prisca dolor.
 Quæ prius ambigua fuerant solatia vite,
 Iam luctus verso cardine mœsta ferunt.

ORATIO.

*Nudatum caput est, capiti decor omnis ademptus,
 Decidit in vitis raspta corona comis.
 Heu quibus impulsifuriis, qua mente Tonantem
 Lascimus, admitti cum vetet ille scelus?
 Cur infelici toties peccavimus ausu?
 Cur iteravit idem noxia culpa scelus?
 Hinc mærent animi, veniunt hinc mille dolores,
 Aeternoq; pavent concita corda metu.
 Hinc ita caligant oculi, radiisq; premuntur
 Lumina: non acer visus, ut antè, manet.
 En devastati rupes inamæna Sionis
 Horrescit, Sulpes monte Sione cubant.
 Pervadunt celeri frondosa cacumina saltu,
 Et sua declivi vertice lustra petunt.
 Tu Verò, qui summa tenes, solioq; perenni,
 Imperio moderans cuncta creata, sedes:
 Qui stellis lucem, stellas largiris Olympo,
 Solus & aeterno numine fata regis:
 Sic potes irasci gravius? nostriq; doloris
 Sic pater omnipotens immemor esse potes?
 Quò ruit ira tenax? cur nos hoc turbine rerum
 Deseris? & longo tempore dira paras?
 Pone furoris opus, placidoq; revertere vultu:
 Impetret aetheream lingua precantis opem.
 Sit modus irarum, sit conciliata voluntas:
 Sævitum satis est: ad meliora redi.
 Nos etiam moderare pater, rege numine mentes,
 Ut peccatorum pœnituisse queat.
 Verte tuos ad te, sacro rege pectora nutu:
 Cujus & est proprium parcere, parce tuis.
 Sic dabitur nostro fatum pacatius orbi:
 Sic erimus tota, Rex pie, mentetui.*

Temporis

I E R E M I A E.

Temporis instaurem seriem: qua lata fuerunt,

Redde, per equatas redde priora vices.

Fac redeant placido felicia tempora cursu,

Qualia per multos prateriere dies.

Nos etenim duro tua dextera reppulit ictu:

Tu nisi subvenias, non erit ulla salus.

Sævior es solito, Vehementius omnia perdis.

Cur sævis in nos? cur ita perdis atrox?

Verte tuos ad te, sacro rege pectora nutu:

Cujus est proprium, parcere, parce tuis.

Sit modus irarum, sit conciliata voluntas.

Sævitum satis est: ad meliora redi.

F I N I S.

CLARISSIMO VIRO

JOHANNI STOLTZIO,

PRINCIPVM SAXONIAE CONCIO-

natori, Domino suo obser-
vando.



Equum esse existimo, Johannes Stolzi, vir eruditissime, ut hoc tibi carmen dedicem, quod & legisti aliquando, & iudicio tuo probasti plurimum. Ante quinquennium enim in Saxonia cum tractassem idem argumentum, tibi que emendandum dedissem, non laudasti solum, sed tum quoque in publicum edi voluisti. Nescio enim quibus de causis utilia fore huiusmodi scripta multis putabas, non quod sermonis ornatu, aut elegantia excelleret, sed quod eo modo res traderent, qui & placeret omnibus, & puerorum ingeniis valde esset accommodatus. Sed vel pudor obstitit tū, vel, qui juvenilem plerumque aetatem comitatur, metus, quo minus authoritati tuae paruerim. Nunc verò & emendavi diligentius omnia, & cura majori ad veritatem Biblicam contuli: ita ut quicquid hoc tandem est, in lucem emittere amplius non verear. Spero item omnibus
bonis

EPISTOLA.

bonis argumentum, & genus carminis probatum iri. Tibi autem Johannes Stolzi, ut suum quoque liber habeat patronum, hoc de Monomachia carmen inscribo, tuo nomini, quicquid ea in re est perfectum, dedico: ut publico hoc testimonio, quanti te faciam, quantum etiam tibi tribuam, notum omnibus faciam. Cæterum quòd honorificè de te sentio, jure quodammodo id facere videor, tot à te, tamq; præclaris beneficiis provocatus. Nam & in studiis mihi hortator extitisti assiduus, & in consequenda studiorum dignitate fautor non vulgaris. Quod memoria mihi elabi si paterer, ingratus non possem nõ haberi. Suscipies igitur, eruditissime Stolzi, munusculum hoc: atque ita de eo æstima- bis, ut quale quale sit, ab homine benevo- lo, tuique studiosissimo missum tibi putes.

Basileæ, tertio Idus Februar.

1551.

DAVI-

DAVIDIS ET GOLIAE MONOMACHIA CAR-

mine elegiaco conscripta ab Abrahamo Læschero.

VT referam tenui Davidica prælia versu,
Non regit inceptum Pieris ulla melos.
Tum vocet ingenuas Heliconis ab arce sorores,
Cum volet ambiguos dicere lingua modos.
Nunc aliud molimur opus, graviora canantur,
Nunc alio cursu noster anhelet equus.
Horrida sanguinei gliscunt certamina Martis,
Ingruit armigera turba cruenta manu.
Summe pater, qui sceptrâ geris, primæva potestas,
Quique triplex uno numine numen habes:
Tu rege conatus, flagrantibus annue votis:
Tu, cum destituar viribus, affer opem.
Attigit Hebræos regio contermina fines,
Effera bellistrepis motibus, ampla situ.
Noxia finitimis, tetrico malefida tumultu,
Plena peregrino sanguine, plena metu.
Gens coluit funesta dolis, asperrima bello,
Perfida, vicinos docta cremare lares.
Contemptrix justî, patrio temeraria fastu,
Impia, perpetua seditione ferox.
Ecqua Palæstinos ignorant secla furores?
Ecqua Palæstina pagina gente caret?
Hæc ubi multiplices tentat captare rapinas,
Innocuasque truci lædere Marte plagas:
Excitat assiduos bello indefessa tumultus:
Et cum possideat plurima, plura petit.

Cogitat

MONOMACHIA.

Cogitat Hebræos armis excindere fines.
Hæc agit, huc patrias æmula vertit opes.
Nec mora, bellaces infesto milite turbas
Colligit, altigrados cogit ad arma duces.
Confluit elato pugnax vicinia cursu,
Et jungit socias officiosa manus.
Disponunt equites, turmis coeuntibus alas
Claudent, sub signis agmina dira locant.
Conglomerant densas cuneo stipante phalanges,
Hinc quoque præsiidiis cornua facta tenent.
Iamque cruenta phalanx aciesque educta moventur:
Ingreditur vasto turba nephanda gradu.
Signa volant, jam signa volant, lituisque rotatis
Perstrepit horribiles buccina curva sonos.
Proxima Iudææ subeunt confinia terræ,
Huc exploratis finibus arma ferunt.
Ordinibus pandunt aciem, castrisque locatis
Undique frugiferos depopulantur agros.
Abscindunt virides intorto culmine spicas,
Extirpant tenero semina flava satu.
Diripitur matura seges, truncantur aristæ,
Herba pruinoso caule resecta cadit.
Quæque laborantes caperent alimenta coloni,
Ecce capistratis pabula dantur equis.
Vasta repercussis volitant incendia flammis,
Vstaque latifono tecta fragore ruunt.
Fracta repentino volvuntur mœnia casu,
Ardua collapsa pondere templa cadunt.
Insequitur vario cædes promiscua luctu,
Tinctaque purpureo sanguine terra madet.
Hic juvenes pereunt, rapiturque impunè senectus,
Hic trahitur passis læsa puella comis.

Hic

DAVIDIS ET GOLIAE

Hic matronali pulcherrima foemina cultu
Interit, hic rigido caeditur ense puer.
Plurima victrici sternuntur corpora ferro:
Et qua quisque potest fraude nocere, nocet.
Præcipuè Goliath volucris temerarius hasta
Sævit, & ingenio cedere turpe putat.
Ut mons incedit: sex corpore continet ulnas:
Addi non potuit septima, palmus erat.
Hac serpentigeri specie vixere Gigantes:
Talis erat Briareus, sic Polyphemus erat.
Prominet ingenti cassis longissima cono,
Ambit inornatum barbara crista caput.
Hic oculi radiant, oculis radiantibus horret,
Et varias tumido volvit ab ore minas.
Ampla subæratæ lorica reflectitur hamis,
Confertisque micat partibus ære trilix.
Effulgent teretis spaciofa volumina scuti.
Quid loquar? in clypeo plurima monstra sedent.
Parte sub aduersa colubros, umbone dracones
Sculpserat, obliquo pinxerat orbe lupos.
Baltheus evinctis ter circuit ilia bullis,
Ferreæ barbaricum fibula nectit opus.
Stant ocreæ leves, ocreis velantur ahenis
Crura, sed immenso cingitur ense latus.
Horrida frondosam superant hastilia quercum,
Quæ maturato robore nixa viret.
Aut quam præcipiti textor descindere trunco
Nititur, ut crasso stipite fila liget.
Hasta coruscantis præfixo pondere ferri
Emicat, & lata cuspide tota nitet.
His igitur rabidus Goliath incingitur armis,
Et pugnas tali mole superbus obit.

Sed

MONOMACHIA.

Sed furit improbius, viridesque licentius agros
Vastat, & incensas destruit igne domos.

Trajicit inmitti rorantia corpora ferro,
Tora repentinis cædibus arva replet.

Hæc ita multiplici dum bella furore geruntur,
Opprimiturque gravi concita terra metu:

Fama volubilibus passim circumvolat alis,
Et strages memorat, facta nephanda canit.

Intrat honorati spaciosa palatia Saulis,
Et repetit simili prælia dira modo.

Quinetiam gravibus vicinia pressa periclis,
Auxilium supplex terque quaterque petit.

Inde sagittiferum Rex impiger evocat agmen,
Marte Palestinas frangere tentat opes,

Colligit indigenas: quæ sint exordia belli,
Indicat, hinc fortem quemlibet esse jubet.

Nunc opus est animis, animos attendite cives,
Nunc & inattonita spicula ferte manu.

Hostis adest, patriamq; tenet, portate bipennes:
Dux ero, crudelis me duce turba cadet.

Sic ait, & medio simul induit arma tumultu,
Et fera sollicito pectore bella parat.

Quid facis infelix? quis te furor improbus urget?
Quò ruis? aut quo te cardine fata trahunt?

Aspice, quid moveas, dubiis confidere rebus
Non decet: innumeras Mars ciet ipse vices.

Non es, qui fueras: divina potentia cessit,
Te malus ambigua spiritus arte regit.

Interea celeri concurrunt agmina passu,
Aptaque militiæ civica turba coit.

Expediunt enses, galeas ferrugine purgant,
Imponunt pharetris spicula, scuta tenent.

Non

DAVIDIS ET GOLIAE

Non clades obstant, non mille pericula terrent.
Pro patria miles quilibet esse cupit.
Rex igitur validas mittit sub signa cohortes,
Magnanimosque legit, pectora fida, duces.
Iamque tubæ clangunt: portis educit apertis
Agmina, præfidiis & loca tuta petit.
Mons jacet, inculti circumstant undiq; sentes,
Sylvaque dumosis vepribus atra subest.
Tutus ab insidiis assurgit in æthera vertex,
Rara, sed occulto semita calle patet.
Hunc petit, hunc celeri properat conscendere passu:
Huc prius excisis vepribus, arma refert.
Alter item simili sustollitur aggere collis,
Et latera umbrosum claudit opaca nemus.
Hunc jam ferratis hostes tenuere catervis,
Hic jam peltigeros disposuere greges.
Sic infinitas vallis tenebrosa cohortes
Secrevit curvis inde vel inde jugis.
Sic, quibus ingentes Mars ipse inleverat iras,
Obversi montes alter & alter erant.
Hic Saul hostiles curat prævertere sensus:
Consiliis animum versat, & arma capit.
Mitia pacato profert solatia vultu,
Quemlibet in pugnas fortiter ire jubet.
Sæpe refulgentem clavis insignibus hastam
Torfit, & hæc multis noxia, dixit, erit.
Gestibus hunc alii, strepituque sequuntur eodem,
Et ducis exemplo magna subire parant.
Iamque struunt aciem, turmisq; sequacibus alas
Arctant, ductores cornua prima movent,
Ignefcunt animi, pugnaeque libidine flagrant:
Quæque pericla metus subjicit, ira premit.

At

MONOMACHIA.

At Goliath lato torquens vestigia gressu
Prodit, & immensi ponderis arma quatit.
Ventilat immanes nutanti casside cristas,
Confertoque graves explicat ære manus.
Hei quàm crudeli distorquet lumina vultu?
Quàm formidandis flexibus ora movet?
Quis furor in facie? quàm livent sanguine dentes?
Inficit horribiles quæ nova forma genas?
Quo vox infrendit sonitu? quo labra veneno
Spumant? quas edit perfida lingua minas?
Hoc viso Iudæa phalanx perculsa recedit,
Haud secus ac viso territa dama lupo.
Diffugiunt trepidæ per devia rura cohortes,
Nota pavefacto milite castra petunt.
Ille Giganteos agitans hinc inde lacertos,
Instat, & appensos comminus ense ferit.
Instat, & extremo quos corripit agmine victor
Sternit, & herbosam sanguine tingit humum.
Ac velut alipedes venator quærere cervos
Cum studet, aut celeres figere monte capras.
Explorat vacuos nemoralis indagine saltus,
Et cava præcipiti vertice lustra notat.
Instituit metas, nodosaque retia tendit,
Emittitque vagos per juga summa canes.
Hi certant flavos cursu transmittere campos,
Diversaque agiles quærere parte feras.
Ipse sub adversa ponit venabula quercu,
Custoditque graves, pronus in arma, plagas.
Iamque premunt volucres per rura patentia cervos,
Aut agitant timidæ per juga summa capras:
At simul hirsutum nemoroso monte leonem
Offendunt, fulvis qui premit antra jubis:

Protinus

DAVIDIS ET GOLIAE

Protinus attonito relegunt vestigia cursu,
Et celeri glomerant agmina densa fuga.
Ille recurrentes sequitur, fugientibus instat,
Extremosque fero noxius ungue rapit.
Sic Goliath sequitur, sic signa novissima telis
Obruit, aut rigido barbarus ense necat.
Jamque ferè attigerat medio tentoria cursu,
Constitit, & tales rettulit ore fonos.
Ecquid adhuc bellare juvat? bellare paratis?
Ecquid adhuc castris jungere castra libet?
Prælia cæca placent? commissa potentibus armis
Pugna juvat? timidos scilicet ista juvat.
Arma retractatis? nec vos movet inclyta virtus?
Tincta nec humana dextra cruore movet?
Scilicet abjectæ subeunt certamina mentes,
Scilicet imbelles arma severa decent.
Qui timet, intereat, mollesque inglorius annos
Exigat: at fortes fortia bella gerant.
Hæc manus est, hæc illa manus, qua cuncta domantur,
Qua cecidit subitæ tradita turba neci.
Hanc si majori vultis sentire tumultu,
Eja age converso prælia ferte gradu,
Aut aliquem toto jamjam secernite cœtu,
Præstantem varia mittite laude virum.
Qui sese nostris interritus offerat armis,
Et subeat parili mutua bella metu.
Hic ego non vitam, non arma decora paciscar:
Si pereo, vitam supprimat, arma ferat.
Si pereo, patriis Saulus dominabitur oris,
Iura Palæstinis gentibus ille dabit.
Sin mihi propositæ cedat victoria pugnae,
Et mea transactæ gloria litis erit:

Vestra

MONOMACHIA.

Westra Palæstinum regio transibit in orbem,
Victaque victrici serviet ora plagæ.
Dixit: & ut diris movit conatibus hastam,
In sua continuò castra reversus abit.
Vtq; ferox rediit gaudentibus omnia turbis
Narrat, inornatis plausibus acta refert.
Sic tulit infelix convicia turpia Saulus,
Sic sua præcipiti rettulit arma fuga.
Fit strepitus, clamorq; virùm, clamoribus æther
Assonat, in Goliath quisq; tuetur ovans.
At Saul immenso jam dudum volvitur æstu,
Solvuntur pavido corda subacta metu.
Horret inoffensi vultus, & monstra Gigantis:
Et tamen, ut vultus horreat, arma capit.
Alta celebratæ repetit primordia stirpis,
Et bellum, gentis motus honore, parat.
Quid? fugiam tumidi certamina fœda latronis?
Et notus tanto crimine Saulus erit?
Attinget seros infamia tanta nepotes?
Nec sequar antiquos bella secutus avos?
Sed moriar? quid obest? pulchrè moriemur in armis,
Et dicar patriæ sustinuisse vices.
Sed neque me indecorem Golia truculente videbis,
Forsitàn & nostras experiere manus.
Hæc secum volvit radiantibus integer armis,
Saulus, & in bellum strenuus ire cupit.
Stat commutato concurrere protinus ictu,
Stat magnum dubio Marte referre decus.
At Deus ingenti præcordia fracta tumultu
Perculit, ætherea misit ab arce metum.
Eripuit vires, pavitantia corda subegit,
Abstulit audaci robora cuncta viro.

L

Hinc

DAVIDIS ET GOLIAE

Hinc timet, hinc timidas acclivi monte cohortes
 Continet, hinc pavido milite castra subit.
Scilicet alter erit, dubii victoria Martis
 Cui dabitur: Goliam qui necet, alter erit.
Vir pietate fuit, celebrique gravissimus ortu.
 Nomen abest? I ai, (quid petis?) illud erat.
Res tenuit patrias Ephraïtidos incola terræ,
 At tum præcipuo vixit honore senex.
Hic octo fausta suscepit origine natos,
 Felix foecunda conjuge, prole potens.
Tres primi Saulumq; juvant, Martemque sequuntur,
 Et circumfuso milite bella gerunt.
At David minimus per pascua rura bidentes
 Pavit, & intonsas egit in arva capras.
Huic ubi balantes stabulis incluserat agnas,
 Rettulit effoetus talia dicta pater:
Ipete castra puer, gregibus pete castra relictis:
 Inspice, quo fratres ordine signa ferant.
Quo duce bella gerant, aut qua statione morentur,
 Hei vereor, ne quem fors inimica premat.
Adfer eis teneros adjuncto polline panes,
 Mittere dic charum talia dona patrem,
Caseus armigero, fuerit quicumque, tribuno
 Detur, ut externas fumat & ille dapes.
Dixit: & ut dixit, selectos ordine panes
 Promit, & in fasces cætera dona ligat.
Mane capillosos remeans aurora jugales
 Ut dat, & auricomum monstrat adesse diem:
Custodem David pascendis eligit hœdis,
 Ipse volutato pondere carpit iter.
Carpit iter, lætis arrident omnia signis:
 Nescio quid magni plurima signa notant.

Majus

MONOMACHIA.

Majus inassueto Sol lumen lumine fundit,
Et bigas vultu splendidiore movet.
Submittunt frutices sylvæ, nemus omne triumphat,
Terra pruinosos pandit amica sinus.
Ingeminat dulces spirabilis aura susurros,
Roseida fragrantès exhibet herba comas.
Interea gravibus Goliath temerarius armis
Prodit, & Hebræos terret, ut antè, duces.
Evomit impuro convicia turpia rictu,
Evomit, armigero prætereunte, minas.
Incluta quadragies produxit lumina Phœbus,
Quadragies atra nocte revexit equos.
Cum ferus assiduo repetit convicia fastu,
Seu redit orta dies, seu cadit acta dies.
At David propero torquet vestigia passu,
Iamque reclinato pondere castra subit.
Prodiit arctatis acies animosa catervis,
Et gressus populo vociferante tulit.
Iunxit & horrissonas contraria turba cohortes,
Iamque in procinctu robore freta stetit.
Nil nisi letifero promiscua vulnera motu,
Cumque gravi clades imminuere metu.
His igitur visis, & dona paterna relinquit
David, & ad fratres dura per arma volat.
Hic quid agant, quærit: quid agat pater, ordine narrat:
Cur aciem fuerit iussus inire, docet.
Vix bene postremis concluderat omnia verbis,
Alter & alternos miserat ore sonos.
Ecce Palæstinis Goliath truculentus in armis
Rursus adest, rursus verba priora facit.
Vasta Gigantæo distendit brachia nisu,
Explicat immenso crura proterva gradu.

DAVIDIS ET GOLIAE

Vt fugiunt celeres aquila grassante columbæ,
 Languida carnivoros ut fugit agna canes :
 Sic quoque Iudææ Golia veniente cohortes
 Dant indiscretæ mollia terga fugæ.
 Abjiciunt clypeos, & scuta micantia vibrant,
 Hic galea, hic curvo baltheus ense jacet.
 Hæc ita dum fiunt, dum per deserta viarum
 Turba fatigatos lassat anhela pedes :
 Miles ad ingenuum sic est Davida locutus :
 Qui sit, nil refert dicere, miles erat.
 Ecquid inornatos Golia frendente tumultus
 Audisti? nostros impetit ille duces.
 Vidisti? tumidi crudelia monstra Gigantis?
 Is venit, ut nostros terreat ore greges.
 Hoc adeò nihil est, levis est injuria linguæ,
 Obruit inimici proxima quæq; manu.
 Exoriare aliquis, veniat, qui puniat hostem,
 Horrida qui gravibus vindicet ora minis.
 Huic Saul regali regalia munera cultu
 Offeret, huic amplas annumerabit opes.
 Huic junget socio præstantem foedere gnatham,
 Huic nubet jussu regia gnata patris.
 Neve tributa ferat, ne vectigalia pendat,
 Liber erit : regis munere liber erit.
 Exoriare aliquis, veniat, qui puniat hostem,
 Qui ferat ultrici regia dona manu,
 Sic ait, & mœsto ducit suspiria vultu,
 Singultu summos testificante metus.
 Exponunt eadem reliqui, tot munera Saulis
 Expediunt simili bisve semelve sono.
 Non tulit hæc David, nec, dum vis ulla superfit,
 Hæc impunita fraude ferenda putat.

Suscitæ

MONOMACHIA.

Suscitat ingentes generoso pectore motus,
Ut leo, cum rabidos cernit adesse canes.
Mens pugnas agitatur, pulchrosque ignescit in ausus:
Quamque sinant anni, fortius ira furit:
Ille quis est? aciem Domini cur voce laceffit?
Cur istam fugiunt agmina nostra luem?
Terreat augustam tetrico certamine gentem?
In circumcisus rideat ille Deum?
Iam me bella vocant, jam prælia, prælia fient,
Viderit, ætherea vivit in arce Deus.
Aggrediar, fas sit patriam, legesque tueri:
Excubat ipse Deus, diriget arma Deus.
Vi rapior. cur vi rapior? mens alta Tonantis
Incitat, in Goliath me mea fata trahunt.
Nec prohibet dubiis ætas infirmior annis.
Ni Deus insinuet robora, robur abest.
Sic ait, & melius tandem confidere jussit.
Auspiciis felix exitus, inquit, erit.
At Heliab pulchros contrarius increpat ausus,
Fulminat, & tumido projicit ore minas:
Quid struis imprudens? quæ grandia somnia captas?
Scilicet hunc juvenem barbarus ille timet.
Incustoditas ima cur valle bidentes
Deseris? hanc genitor jussit inire viam?
(Hæc scelus) intrepidi mihi nota superbia cordis.
Non novus hic furor est, mens levis ista facit.
Nequitia est, quæ te patriis deduxit ab oris,
Hæc quoque lanigeras relinquere jussit oves.
Scilicet ut pugnas, ut bella cruenta videret,
Carpisti longum pastor inermis iter.
Sic ait, & David contra: Cur frater in iram
Verteris? incenso cur ita corde fremis?

DAVIDIS ET GOLIAE

Me genitor misit, pater ipse videre cohortes
Iussit, & huc vestro munera ferre duci:
Dixit: & averso declinat lumina vultu,
Verbaque, quæ passim fecerat antè, facit.
Interea magno narrantur talia regi,
Crebrescit cunctis fama citata locis.
Advenisse, ferum qui tentet adire Gigantem,
Qui velit abjecto bella ciere metu.
Protinus in celebrem David perducitur aulam,
Protinus ad Saulum talia verba refert:
Pone metus, Rex pone metus, expelle timores,
Cessent assiduo corda pavere metu.
En adsum, qui monstra velim, tumidumq; Gigantem,
Frangere, qui Goliæ prælia ferre velim.
Sævitum satis est: aderit, qui supprimat hostem.
Annue, magnanimis viribus arma geram.
Quid frangas, quas te vertas, Saul inquit, in artes,
Victrici cædas ut fera monstra manu?
Territus aspectu fugies, immania tollat
Lumina, jam trepido pectore nullus eris.
Ah miser absistas, Goliæ qui vincere tentat,
Tentat inexhausti grande laboris opus.
Parvus es, infirmas juvenili corpore vires
Parvus habes: valido robore membra carent.
Ille senescentes armis exercuit annos,
Fortiaque ingenti corpora mole trahit.
Finis erat, contra David: Desiste vereri:
Ne dubites, multo deteriora tuum.
Pascebam placidas herbosa valle bidentes,
His aderant hædi, caprigenumque pecus.
At pastorales tenui modulamine curas
Dum levo, villosus protinus ursus adest.

Hunc

MONOMACHIA.

Hunc leo subsequitur fulvos rapidissimus armos,
Et teneram patrio de grege sumit ovem.
Quàm tenuit lato mordacia guttura rictu?
Quàm vasta prensam fauce recondit ovem?
Quid facerem? sequerem? saltus, dumosq; petebat.
Absumi paterem? sed gravis ira vetat.
Persequor audaces, avidoque pericula cursu
Expeto, si pœnas raptor uterq; daret:
Iamque sub umbroso comprehendi monte leonem,
Et dixi, Certè tu feriendus eris.
Nec mora, continuos in vulnera molior ictus,
Fulgentesque peto terque quaterque jubar.
Ejicit imbellem distracto gutture prædam,
In me letiferis unguibus ire parat.
Explicat horribilem tristi conamine caudam,
Amplaque districtis dentibus ora movet.
Sed stravi durum pugna meliore leonem,
Post ursum: læto victor utrunque dedi.
Ergo age dentatum potui superare leonem,
Nec fugit nostras ursa cruenta manus:
Et metuam fœdi portenta nefanda latronis?
Qui vomit assiduis crimina fœda minis.
Qui Domino sacras audet ridere cohortes,
Occumbent simili monstra prophana modo.
Qui me setosi defendit ab unguibus urfi,
Dura laceſſentis conteret arma Getæ.
Me Deus hirsuti servavit ab ore leonis,
Me quoque sanguineo servet ab hoste Deus.
Dixit: & intrepidus agitans hinc inde lacertos,
Bella cupit, Goliam sternere Marte cupit.

DAVIDIS ET GOLIAE

Saul ait: ô quanto fragrant tua pectora motu,
I puer, & fuso victor ab hoste redi.
I, Deus auspiciis adsit, Deus adsit eunti.
Fallor? an ingenuis vultibus omen inest?
Sed nudum gravibus caput objectare periculis,
Non decet, en clypeos accipe, scuta dabo.
His potes insultus, & tela cavere Gigantis:
Hæc, reor, incassum missilis hasta petet.
Nec mora, dat galeam, rigidum circumligat enssem,
Loricam triplici porrigit orbe gravem.
Arripit exuvias, validisque incingitur armis,
Portat inassuetum psalteria Musa decus.
Iam librare gradus, jam tendere brachia curat,
Brachia præ nimio pondere fessa cadunt.
Languida deficiunt medio vestigia cursu,
Sarcina lassatos degravat ampla pedes.
Quid tamen his opus est? inquit, deponite scutum:
Est animus, posito qui neget arma metu.
Arma gerant alii, vastas qui robore vires
Ostentant: Domini me, pia dextra teget.
Sic ait, & gravibus coeuntia vincula nodis
Laxat, & implicitum liberat ense latus.
Casside flaventes solvit crepitante capillos,
Et cava deposita cuspide scuta refert.
Amnis arundineas vicino flumine ripas
Præbuit, & vitreo gurgite volvit aquas.
Fovit & assidua fragiles aspergine juncos,
Alga sub exeso pumice multa stetit.
Cærulea flumineos ejecerat unda lapillos,
Obstita limoso gramine ripa fuit.
Huc igitur fert ille gradus, hinc quinque lapillos
Eligit: hi diræ cuspidis instar erant.

Post

MONOMACHIA.

Pōst jaculatricem tenui molimine fundam
Tollit, & incurvi corripit æra pedi.
His contentus abit telis, Goliãque laceffit.
Improbe quid possis, experiamur, ait.
Ille cavernosos horrendo murmure montes
Perstrepit, & rauco concitat ore sonos.
Vt niger infrendit villis horrentibus ursus,
Cum tegit hyberno viscera pressa gelu:
Cum carpit longum glacie coëunte soporem,
Vestit & aggesta concava lustra nive.
Iamque canes adsunt, vastisque latratibus antrum
Irrumpunt, tristi murmurat ille sono.
Surgit, & hamatos rapidissimus exerit ungues,
Sævaque pro dulci prælia sede ciet.
Sic Goliã animoque truci, vastoque tumultu
Ingruit, & tumido personat ore nemus.
At lento graditur proles Iesseia passu,
Voce refert Goliæ prælia, mente Deum.
Blanda verecundo scintillant lumina vultu,
Frons nitet, adducto prominet ore pudor.
Barba ruberactas tenera lanugine malas
Pingit, & affuso sanguine labra rubent.
Inclyta cæsaries apto discrimine flavet,
Insidet illæsis forma pudica genis.
Hac igitur David facie procedit in hostem,
Hoc cupit ingenio prælia dura pati.
Iamque animis inhiat timidis formosa Juventus,
Prospectum latè densa caterva petit.
Congreditur steriles bellatrix turba per agros,
Davidisque probat tacta stupore gradum.
Nutat, & alternis petitur victoria votis,
Opponunt varias spesque metusque vices.

L J

Et

DAVIDIS ET GOLIAE

Et jam conveniunt, campisque patentibus astant:
Risit, & hæc Goliath protulit ore prior:
Ecce, quis hic novus est miles? quibus utitur armis?
Quàm tenet egregia spicula dura manu?
Quàm vibrat teretem digno conamine fundam?
Quid miser, an pavidos credis adesse canes?
Vir sum, sum Goliath, Goliath dixere parentes.
Ecquis erit, qui me nesciat esse virum?
Laude vehor, mea fama viget, mea nomina florent,
Qua patet extremo terra remota situ.
Vincere, non vinci tales didicere lacerti.
Tuque quid inceptas? tu mea tela feres?
Scilicet in caelis Deus est, Deus astra gubernat,
Qui tibi languenti numine mittat opem.
Si Deus est, miser est, id prælia nostra fatentur,
Quàm bene vos manibus liberat ille meis?
Quàm supera sit in arce potens, tu morte probabis:
Quas vires habeat, tu documenta dabis.
Eja veni, quid stare libet? moriture quid hæres?
Quid differs lento fata propinqua gradu?
Hauriat effusum tellus madefacta cruorem,
Herbida promanans imbuat arva cruor.
Carnivoræ rapiant rorantia membra volucres,
Montanis jaceant exta voranda lupis.
Dixit, & excelsum capulo connixus in enses,
Horrida ter movit spicula, mota tremunt.
At David: Cur sic animo scelerate superbis?
Spem quantam, fati nescius, inquit, habes?
Desine, postremum commendat gloria finem:
Sed prius inteream, parce age. pauca loquar.
Tu geris horribiles clypeis rutilantibus hastas,
Terrificaque rotas arma corusca manu.

At

MONOMACHIA.

At ego siderei fretus bonitate Tonantis,
Ingredior posito prælia tanta metu.
Is mihi suppeditat robur qui scæcula stringit.
Acquora, nutantis qui regit astra poli.
In mea speratas mittit præcordia vires,
Qui jacet ignivomis fulgura sæva globis.
Is juvat Hebræas dextra superante cohortes:
Et, quas tu probris afficis, ille fovet.
Hoc duce te perimam, nec tortilis hasta vetabit,
Hæc ego percutiam corpora vasta manu.
Trajicia non volucris temeraria pectora ferro,
Et capita abscindens sanguinolenta traham.
Cæde Palæstinas turbabimus inde phalanges,
Vertemus mediis castra superba viis.
Inficient madidos laniata cadavera fines,
Horrescent putri putria membra solo.
Hæc volucrum misero saturabunt agmina pasto,
Hæc pascent turpes semisepulta feras.
Sic sciet innumeras tellus divisa per oras,
Vivere rectorem, quem colat ipsa, Deum.
Vivere perpetuum supera regione Tonantem,
Qui juvet Hebrææ regna beata plagæ.
Hoc discent casu, præsentibus excita turbis
Agmina, non torvo milite bella geri.
Non in missilibus bellum consistere telis,
Fortiaque humanis viribus arma regi.
Omnia divino pendent certamina nutu:
Vis perit, æternum prælia numen agit.
Hæc Domini res est, qui dum pia corda tuctur,
Interimet nostra corpora vestra manu.
Finis erat: subito Goliath prævertere saltu
Tentat, & horrida lumina voce movet.

Hand

DAVIDIS ET GOLIAE

Haud secus ac fulvus circo cum taurus aperto
Sævit, & immani cornua fronte rotat.
Longa capilloso vibrat palearia iactu,
Figit harenosos inde vel inde pedes.
Iamque propinquantes lato discrimine gressus
Fert Goliath, duram spirat ab ore necem.
Increpitat galeam, manibusque tenacibus ensem
Occupat, assiduis ictibus arma ferit.
At David (nec enim pugnam differre dabatur)
Aestuat, & telis obvia tela parat.
Expromit lapidem, teretis retinacula fundæ
Solvit, & intento verberare lora quatit.
Iamque lapis tenues motu diverberat auras,
Et velut ex arcu iacta sagitta, volat.
Protinus oppositum subito stridore Gigantem
Impetit, & secum tristia fata trahit.
Inferitur fronti, cerebroque volubilis hæret,
Fractaque discussis dividit ossa comis.
Ille repentino penitus prosternitur ictu,
Sparsaque cum gemitu pronus in ora cadit.
Pallidus extendit lato genua ardua tractu,
Gramineamque fero corpore pulsat humum.
Versat in horribilem luctantia brachia gyrum:
Surgere sæpe studet, surgere fata vetant.
Sic quos æthereis afflarunt fulgura flammis,
Mors improvisis unguibus atra rapit.
Tunc David sævo victor superimminet hosti,
Imaque letifero vulnere corda ferit.
Transadigit ruptis halantia pectora costis,
Hinc gravis effuso sanguine vita fugit.
Vince bipennigeri rabiem, furiasque Gigantis,
O decus, o patriæ non dubitata salus.

Vince

MONOMACHIA.

Vince laceffentem, Goliath profterne superbum.

Contemptor vivi numinis ille fuit.

Opprime damnofum telis victricibus hoftem,

In patriam rutilas intulit ille faces.

Triftia lativagæ contagia tollere peftis

Tu potes, hoftilem vim superare potes.

Per te parta falus, miles te vindice fugit,

Per te confecto reddita vita metu.

Quàm non te mentis fiducia vera fefellit?

Quàm confirmato pectore certus eras?

Spicula defendunt alios & ahenea callis,

Te pastorali fubdita funda pedo.

Depromunt clypeos alii, parmisque teguntur,

Tu manibus lapidum fragmina quina geris.

Scilicet æterno mens immutata Tonanti

Credidit, hinc poterant nulla pericla fequi.

Aft ubi non habuit David, quem stringeret ensem,

Currit ad extenfi lubrica tela Getæ.

Hic latus ingenti gladio fpoliavit, & ambas

Comminus illifo fuftulit enfe manus.

Præciditque caput, remanet cum pondere truncus,

Latatoque niger rivus ab ore fluit.

Inunc, & prifcas jactantius exere vires:

Inunc, & tumidi grandia facta refer.

Est, qui mortifero tua facta redarguat ictu,

Est, qui te iufta vi valuiſſe neget.

Qui tua fulmineo trajecit pectora ferro,

Vivit, & æternæ præmia laudis habet.

Quid lorica trilix, quid parma, quid hafta trabalis

Profuit? hac ſolum bella geruntur ope?

Falleris, arcano dominantia numina curſu

Plus poſſunt, ſupera plus Deus arce poteſt.

Sic

DAVIDIS ET GOLIAE

Sic ubi bellator cecidit, qui cuncta volebat
Vincere, qui notis viribus acer erat:
En stupet attonitis acies temeraria castris,
Nec mora, præcipuo robore cassa, fugit.
Insequitur Iudæa phalanx, profugosque trucidat,
Cæsaque fertilibus corpora fundit agris.
Ditia barbarico spoliat tentoria cultu,
Et victas acri milite raptat opes.
At caput in Solymas Heros Iesseius arces
Infert, & tabo livida colla gerit.
Occurrunt mediis pulchræ Sinaides agris,
Et ducunt festos agmina læta choros.
Tinnula subtili stringunt psalteria plectro,
Sollicitant facili fila canora manu.
Turgida dulcisonis certant adjungere fistris
Tympana, ductilibus cornua rauca tubis.
Ingeminant læto victricia carmina cantu,
Et repetunt tenui dulcia verba sono.
Mille trucidavit Saulus, rex mille peremit,
At David forti millia dena manu.

FINIS

Ad Virum Nobilem & Magnificum,

DN. JOANN. ULRICUM
WOLFFIUM à TODTENWARTH,

ICtum, Com. Palat. Cæs. & Consilar. Würtemberg.
Fautorem meum plurimum honorandum;
Abrahami Lœscheri Threnos
evulgantem.

N Ascitur indignè per quem non nascitur alter,
Vulgatus vero dogmate versus habet.
Quem si Musa tuis fas est accommodet ausis,
Tenatum indignè nullus habere potest.
Nam tibi non tantum charissima pignora lecti,
(In quibus effigiem conspicias ipse tuam)
Partim nata manent, partim ventura manebunt,
Si modo fecundet summus Ihoſa torum.
Sed Virtute tua vivunt, pariterque revivunt,
Qui fuerant prisca lumina magna soli,
Majores proaſque tui, quos morte revatos
Sistis ad aeternos vindice Marte dies.
Dum quibus ornavant labentia secula mundi,
Scripta cupis spreto non latuisse situ,
Nec doctos cariem bruchosve vorasse libellos,
Verum donec erunt sidera, posse legi.
Nam quòd Hieremia, lamenta miserima, threnos,
Queis Solyma luxit tristia fata sua;
Adde Philistæi pugnam bellumq; Gigantis,
Isiudes Domini quem superavit ope;
Omnia quæ docto LOESCHERVS carmine versens
Iusserat in teneros ire coacta pedes;
Ernis è tenebris & luci pristina reddis,
Materni illustras nobile nomen Avi.

Aeternsq;

Aeternoq; Vetas moriturum tempore, caelum.
Donec & immensi stabit habena soli.
Dignum opus elogio! vises mihi crede vicissim,
Capturus capti premia larga tui.
Nam veluti Vitam majoribus addis, ita illi
Vitam eternabunt grata caterva tuam.
Nec non donec a vi. vivent, victura vigebit
Latus tua, qua sanctos vivere fecit avos.
Vi se precor! si quis voto tibi divite Vitam
Et soviet, & vero ductus amore favet &
Hanc fa&eo, & o veroq; tibi post fata perennem,
Nominis ut pereat gloria nulla tui.
Conspiciare simul longaeus, & ante supremum
Ne mala, sed numeres tempora lata diem.

Argentorati fecit 3. Novembr.

1628.

SAMUEL GLONERUS.

FINIS.

Ga 1235


ULB Halle

3

006 836 070



Went MC-



IOANNIS-VLRICI WOLFII à TODTEN-
vyart, IC. Sacri Lateranenf. Palatii, Aulæq;
Cæsar. Comitiss : & Consiliiarii Wurt-
tenbergiaci &c.

METOIKHΣΙΣ,

SEU

ORATIO VALEDICTORIA, HA-
bita in illustri Gymnasio inclutæ Imper. Reipublicæ
Ratisbonensis, in magna Auditorum fre-
quentia VII. Eid. Februarias,
Anni M. DC. XXVI.

DE THEMATE

*Quid de Vocationibus & mutationibus officiorum sit
sentiendum : & utrum ea potius dissuadenda,
quam commendanda?*

ADIECTI SVNT THRENI IEREMIAE
Prophetae, & Monomachia Davidis & Goliath ab Avo
ipfius materno D. Abrahamo Loeschero IC. olim Ca-
meræ Imperialis Adfessore, post Reip. Norimbergens.
Consiliario prudentiff. ante 78. annos carmine
elegiaco conscripta

prout &

EIVSD. D. WOLFII FASCICVLVS ANA-
grammatum & Epigrammatum.


ARGENTINÆ,

Typis PAVLI LEDERTZ Bibliop.

M. DC. XXVIII.

Farbkarte #13

B.I.G.



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black